DISPUTATIO CRITICA DE CARMINIBUS HORATII SEX QUAE DICUNTUR ODAE ROMANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM ADNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI **C. WINKLER,** MED. DOCTOR ET IN FAC. MED. PROFESSOR ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS **ALOYSIUS PETRUS HUBERTUS ANTONIUS SLIJPEN S. J.,** NATUS TRAIECTI AD MOSAM, PUBLICO EXAMINI SUBMITTET DIE XX MENSIS IANUARII ANNI MCMXII HORA III IN AULA UNIVERSITATIS.

LUGDUNI BATAVORUM — APUD G. F. THÉONVILLE.
MCMXII.

AAN MIJNE DIERBARE MOEDER.

Cursu academico peracto, viris clarissimis doctissimis optime de me meritis libenter gratias rependo.

Tibi imprimis, vir clarissime BECK, promotor aestimatissime, qui hunc meum libellum, quamvis tuis non natus esset auspiciis, mira tamen sedulitate benevolentia patientia pertractare mecum perficereque voluisti.

Tibi, vir clarissime KUIPER, tuaeque eximiae doctrinae tuaeque gratissimae humanitati quae quantaque debeam me crede semper memorem futurum.

Neque obliviscar, vir clarissime Six, horarum illarum quas cum in Academia tum praesertim domi tuae in instituendo me impendisti.

Tibi, vir clarissime VALETON utinam vivo gratias agere mihi licuisset! Mortuum te maeremus, virum aequum et prudentem.

Vobis autem, viri clarissimi DE BOER et BOISSEVAIN, quorum lectionibus ut interessem non contigit mihi, pro voluntate mihi praestita gratias rependo.

Restat, ut tibi quoque gratias agam maximas, vir clarissime KARSTEN, qui magister olim meus, huius libelli quasi auctor fuisti. Tu primitiis his litterariis benigne arridens animos addidisti ut fidenter iam pergam. Quam insigni benevolentia, die illo mihi memorabili in medio doctissimorum virorum coetu me recipere et alloqui dignatus sis, dulcis mihi semper recordatio erit.

PRAEFATIO.

Paucula quaedam praemonenda esse puto de ipso huius disputationis consilio et ratione. Anno Domini 1908 a Facultate Litteraria Universitatis Amstelodamensis haec Quaestio publice fuit proposita:

„Instituatur disputatio de Horatii Odis l. III, 1—6, ea ratione ut opiniones, quae inde a Mommseno (Act. Soc. Reg. Borussiae, a. 1889, p. 50 sq., cf. Mnemosyne XXVI, p. 125 sqq.) usque ad Petrum Corssenum (Nov. Ann. ant. class., a. 1907, p. 582 sqq.) cum de singularum partium tum de universa Odarum significatione prolatae sunt, critice examinentur (cf. Loeschhorn, Wo. für Klass. Phil., a. 1907, p. 1909 sq., Fr. Kreppel, der Zyclus der Hor. Römeroden, Progr. in Kaiserslautern, 1903 et 1904, alii) et ipsius scriptoris interpretatio ostendatur."

Omnem igitur operam cum adhibuissem ut illi muneri pro viribus satisfacerem, Amplissimus Senatus Universitatis suffragio suo quae scripseram probavit, aureoque dignatus est praemio. Iam eundem fere libellum ut Specimen Litterarum praelo subiciendum curavi. Eundem dico. Etenim, licet non pauca menda in eo ab aestimatissimo promotore mihi indicata et correcta sint, idem tamen permansit, eadem res, idem consilium.

Itaque quae *ante* Mommsenum atque *post* Corssenum l. l. de his carminibus scripserunt viri docti in hac quoque

dissertatione consulto neglexi, ipsius Horatii praecepti pie memor:

„Sit modus in rebus, sint certi denique fines.".

Ne illi quidem libro elegantissime scripto, qui nuper in lucem prodiit exceptionem dedi, quamquam dignissimus est qui impugnetur. Dissertationem volo d. v. Wagenvoortii, aemuli olim mei in certamine Amstelodamensi, qui idem persecutus argumentum, ad diversam tamen prorsus conclusionem pervenit. Immo intra fines propositos acervus librorum et libellorum et commentariorum ad rem nostram pertinentium tantus iam erat, ut contendere non auserim me, quamvis magna adhibita diligentia, illa omnia cognovisse, habuisse, pertractasse.

L. D.

CAPUT I.

Non parum miratur, quisquis recentiorum colligit scripta de Horatii Odis, quae nunc vulgo „Romanae" dicuntur, quod tot tamque diversae doctorum virorum reperiuntur sententiae.

Qui furor interpretandi et in diversa de iis disputandi eo praecipue instigatus esse videtur quod celeberrimus quidam vir ex suo more eas explicans novas inopinatasque movit quaestiones.

Postquam enim Theodorus Mommsenus [1]), anno 1889, in Academia sollemni die festo Friedrichi Guilelmi principis, praeclaram illam habuit orationem, philologorum mox surrexit turba; laudabant alii, alii impugnabant. Atque hoc loco iam addendum est ipsa illa, quae prorsus nova a Mommseno sunt prolata, saepe acerrime esse impugnata. Unde tandem tantae auctoritatis tanta diffidentia?

Ut id ingenue fatear quod sentio: videtur mihi vir ille laude ceteroquin dignissimus, artem criticam hic paululum prodidisse, ut eloquentiae faveret, utque Carminum sententiam Germani Principis festo quammaxime adaptaret.

Quae non temere me contendisse postea apparebit.

---

1) Cf. Sitzungsberichte der Preuss. Akad. der W. 24 Jan. 1889 p. 23 sqq.

CARMEN I.

Odi profanum volgus et arceo.
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in Campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

Contendat, illi turba clientium
Sit maior: Aequa lege necessitas
Sortitur insignes et imos,
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

Somnum reducent: somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare
Nec saevos Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Haedi,

Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae

Fastidiosus: Sed timor et minae
Scandunt eodem quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra cura.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

§ 1. De Carm. I stropha 1ª.

In carminis primi prima stropha statim dissensionis causa oritur. Quid vult poeta? Respondet Mommsenus: „Est propheta" Est propheta monarchiae. Atque, ut solent homines vaticinantes, eos tantum spectat, quos verbis suis fidem sperat tributuros:

— virginibus puerisque canto.

„Ceteri enim, inquit, bellorum civilium odiis depravati ‚die Alten und Kalten' ad correctionem non sunt apti." Quae dicit vir doctus minime improbanda mihi videntur, nisi quod „prophetae" quos vocant alicuius novi rerum status, omnes ad suam sententiam perducere quam paucos arcere malunt. Quare minus forsan recte quam iocose vocem hanc adhibuit. — Sed haec minoris sunt momenti. Laude omnino digna est interpretatio qua versum illustrat primum saepe male intellectum:

Odi profanum volgus —

Antea enim multum laudati laudandique interpretes vix verum sensum capiebant. Tacent Bentleius et Peerlkampius. Kiesslingius interpretatur: „den grossen Haufen".

Porphyrio aliique multi ad litteram poetae verba intellegentes „Musarum profanos" significari iis volunt.

Lucide autem Mommsenus novam generationem vitiis intactam, spe prorsus plenam indicari docuit [1]). Fr. Kreppelius [2]), qui omnia fere et singula quae tribus prioribus odis Romanis continentur, accuratissime perpendit, reprehensionis causam hic quoque invenit.

Karstenius [3]) cum Mommseno faciens ipsi Kreppelio modum excedere videtur excludendo „adultos" quorum animi „obdurati erant per saeva tempora". — Quamquam nequaquam intellego qua ratione inter se differant ipse Kreppelius et alii laudati scriptores.

Schefferus in altera editione notissimi Gebhardii libri [4]), Doerwaldius [5]), recentioresque fere omnes item cum Mommseno faciunt. Seligerus [6]), quem saepius infra laudabimus, opinionem protulit, quae paulum tantum differt ab opinione antiquitus tradita. Ita ipse convenit cum Mommseno, ut prophetae partes tribuat Horatio, qui eos solum spectet vaticinans, a quibus non tantum fidem et assensum sed *facta* potissimum exspectet: „Wie Rom stets eine aristocratische Republik gewesen war, so blieben auch unter Augustus die Mitglieder der edlen Geschlechter die Träger

---

1) Vide infra in annotatione 2 pag. 5.

2) Der Cyclus der Horazischen Römeroden. Programm des K. Hum. Gymnasiums Kaiserslautern. 1903—1904.

3) Mnemosyne XXVI, p. 125 sqq. »De Horatii Odis ad Rem Publicam et ad Caesarem pertinentibus".

4) Aesthetischer Commentar zu den Dichtungen des Horaz. Paderborn 1902.

5) Die Römeroden des Horaz. — Lehrproben und Lehrgänge 1905, 3 Heft.

6) Fleckeis. Jahrbücher 1890, p. 301. Die ersten sechs Oden im dritten Buche des Horaz.

der Staatsidee"[1]). Eos igitur imprimis spectant Horatii exhortationes.

Sane non negabo Horatio Musarum sacerdoti cordi maxime fuisse, optimatium liberos ad pristinam virtutem convertere, negabo tamen id eum hoc loco indicasse vel indicare voluisse. Primum enim potius nocere quam prodesse mihi videtur ipsius poetae proposito talis significatio.

Namque *aut* cupit audire illa plebs Horatii carmina, *aut* non vult. — Si non vult, quare frustra removenda? Si vult, eo ipso ostendit praecepta se desiderare, neque dubium esse potest quin multum interesse poeta iudicaverit, ut infima quoque seu quinta classis, quae maiore iam frueretur quam antea iure, maiora iam quam antea reipublicae officia praestaret. Deinde quod gravius est: in ipsa prima stropha simul contrarium enuntiatur. Poeta non tantum indicat, quibus nolit, sed quarto versu iam docet, quibus velit sua carmina cantare. Verum „plebs" quam Germani „den grossen Haufen" interpretantur, ab una parte et „virgines puerique" i. e. „die Jugend" ab altera parte, non nisi immerito inter se opponuntur. Contra admissa interpretatione Mommseni supra laudata[2]) sententia in promptu est[3]).

---

1) Cf. l.l. pag. 302.

2) En verba clarissimi viri: l.l. pag. 25. »Er spricht wie Jeder Prophet zu den Glaubenden; die Gemeinen, die für die neue Offenbarung Unempfindlichen auszuweisen ist sein erstes Wort; sein zweites dass er zu der Jugend redet, den Jünglingen und den Mädchen, dass der neue Gesang an das kommende Geschlecht sich wendet ..... nicht an die Alten und Kalten, an die frische Gemüther der noch bestimmbaren Jungen Welt wendet sich der Prophet der Monarchie."

3) Ceterum ex multis poetarum locis apparet non vim nimiam esse tribuendam huic voci »(musarum) sacerdoti". Solebant enim musarum deorumve sacerdotum partes suscipere et Horatius et Vergilius et Ovidius et Propertius aliique. Kiesslingius-Heinzius annota verunt
Prop. IV. 6, 1: »Sacra facit vates, sint ora faventia sacris".
Complures vero locos Riednerus collegit — »Typische Aeusserungen

At de eadem stropha altera oritur quaestio. Luce utique clarius est unicuique proemii instar eam esse. Aliqui autem viri docti eam tanquam insigne effatum omnibus his carminibus, nescio qua ratione, praemitti censuerunt.

Atque triplex adeo distinguenda est sententia. Pertinetne ad primum carmen tantum, an ad sex Odas Romanas, an ad integrum Librum Tertium? Ut rite iudicemus de variis hac in re opinionibus, spectandum omnino videtur, quid

---

der römischen Dichter über ihre Begabung, ihren Beruf und ihre Werke" Nürnberg 1903 — quorum nonnullos rei confirmandae causa afferre lubet. Primum fuisse Vergilium nobis auctor est d. v.: Ge. II 475 sqq.: »Me vero primum dulces ante omnia Musae, quarum sacra fero ingenti percussus amore. —"

Ovid. ex P. I. 1, 47: »locum date sacra ferenti."

Idem Am. III. 8, 23: »ille ego Musarum purus Phoebique sacerdos . . ."

Idem Tr. III. 2, 3 sq.: »nec vos, Pierides, nec stirps Letoia, vestro
docta sacerdoti turba tulistis opem."

Ibis 97: »peragam rata vota sacerdos,
quisquis ades sacris ore favete meis."

Ovid. Tr. IV. 10, 19 sq.: »at mibi iam puero caelestia sacra placebant
inque suum furtim Musa trahebat opus."

Item cf. Tr. III. 7, 31 sqq.; ex P. IV. 13, 43 sqq.; ex P. II. 10, 17 sq.; Tr. IV. 1, 27 sq.; Am. I. 1, 6; ex P. II. 9, 64. —

Germ. Arat. (P. L. M. I. 10) 3: »te veneror tibi sacra fero
doctique laboris primitias."

Prop. III. 1, 3 sq.: »primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros."

Idem post versum supra allatum sacerdotis munus quasi depingens sic prosequitur:

»— et cadat ante meos icta iuvenca focos.
Costum molle date et blandi mihi turis honores
terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aere noxae,
pura novum vati laurea mollit iter."

Idem II. 1, 1: »Quisquis adest faveat."

Tib. II. 2, 2: Quisquis ades lingua vir mulierque fave."

Haec sufficiant.

de universo carminum nexu varii varie disputaverint scriptores, qui in explicandis his odis operam posuerunt.

Quare hanc quaestionem postea retractare praestat.

§ 2. Carm. I stropha 2a. Quaeritur sitne conectenda cum reliquo carmine necne.

De altera stropha primi carminis eadem est dissensio. Non perinde quidem est sollemnis ac prima stropha; tamen poetica vel metaphorica ratione dicendi primo aspectu longe differre videtur ab illis quae sequuntur.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

a. *Sententiarum cognitio.*

Mommsenus et ante eum plures, cum reliquo carmine eam conectendam esse censet, cum stropha dico quarta, quae est de necessitate — quamvis id diserte non dixerit.

Haec fere habet v. d.[1]): „Den Glauben an das unabänderliche Schicksal stellt der Dichter voran. Ueber die Menschen herrscht der König, über die Könige Jupiter ..... aber über alles und über alle gebietet die Notwendigkeit".

Quis negabit talem nexum, quod ad verba attinet, facile admitti posse? Inquirendum autem est utrum sit in ipsis versibus necne. Aliud enim est poetam aliquid dicere potuisse, aliud eum id revera dixisse!

Karstenius supra allatam opinionem plane repudiavit, et alteram quoque stropham ad praefationem trahendam esse docet; atque versus 5—8 „ut dogma de invicto Iovis imperio praescriptum esse, quasi: *„τηλαυγὲσ ὄμμα"*.

Opinionis suae defensionem, quam Mommsenus pro loco et tempore suo iure omiserat, adiunxit vir doctus. Nullo

1) Cf. l.l. pag. 25.

modo hos versus cohaerere nec cohaerere posse cum versiculis sequentibus ex eo praecipue hausit quod in ipsius carminis partibus diversis, diversas philosophicas doctrinas profiteatur Horatius. Ipso iudice poeta distinguit Varronis illas „Theologiam physicam" et „Theologiam civilem". Haec antiquam de diis conservat et propagat fidem, illa contra minus est idonea quae multitudini praedicetur. Itaque in altera stropha, ubi cum pietate quadam poeta summum Iovis imperium in populos, in reges pronuntiat, „civilem" omnibus aptam docet theologiam, in iis vero, quae sequuntur, *ἄθεον* doctrinam de Necessitate. Quae adeo inter se pugnare videntur, ut nexus a Mommseno indicatus miserrime iam solvatur.

Ad quae haec velim animadvertas.

Imprimis cum Mommsenus tum Karstenius tum, quos ego novi paene omnes, nimiam, ut mihi videtur, voci ‚necessitatis" vim tribuerunt.

..... Aequa lege necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Multo magis vocem illam premunt quam voluisse videtur ipse poeta. Apud Karstenium primas prorsus agit partes in toto fere carmine, indiciumque illi est Horatium, propositi sui iam immemorem, virginibus puerisque *ἄθεον* quandam hic tradere doctrinam. Quod sane minus decet eum postquam vix sacerdotis munus suscepit! Sed si quis obiciat mihi negari non posse poetam in variis carminibus Stoicam doctrinam et Epicuream alternis vicibus docuisse, eumque hic non aliter fecisse, respondendum videtur imprimis poetam, si unquam, tunc certissime „civilem" illam Varronis Theologiam profiteri debuisse. Neque in menten quidem venire ei potuit ut fatali illa tristique Necessitatis Theologia vim, spem, veram virtutem iuvenibus eximeret!

Deinde, etiamsi conceditur — quod post lucidam Karstenii explicationem [1]) concedere cogor — diversis vitae temporibus poetam de rebus metaphysicis varie sensisse, iisdemve forsan temporibus pro animi habitu de iis varie scripsisse; difficile tamen nec nisi gravissima ratione admittendum esse duco eousque mutabilem eum fuisse, ut vel in hac prima oda utramque doctrinam traderet.

„Immo, obiciat quispiam, immo, mi bone, ex ipsa hac doctrinarum differentia rectissime deducimus temporum varietatem, quibus Horatius ipsam odam et hanc praefationem conscripsit."

Cui iterum respondeo ita distinguendo: Horatius *aut* perperam Carmini, quod sciret esse *ἄθεον*, consulto praemisit piam admodum praefationem — ut „virginibus puerisque" fucum faceret — *aut* ne ipse quidem *postea* sensit quid docuisset antea! Iamvero nec unum nec alterum admittere necesse est. Minime enim opponuntur hic inter se Necessitas et Iupiter, neque recte dici posse puto, eos comparari inter se quasi per gradationem, ut voluit Mommsenus. Qui sine opinione praeiudicata legerit stropham quartam: „Aequa lege necessitas sortitur insignes et imos, omne capax movet urna nomen", ei me iudice apparebit de illa tantum agi necessitate, quae omnibus hominibus communis est: moriendi; quam ipse Horatius alibi [2]) „saeva necessitas" vocavit; *non* vero, significatione quadam latiore, indicari Fatum illud, supremae cuiusdam Potentiae sustinens personam, cui ipse Iupiter subiectus esse credebatur.

Atque si sic intellegitur, quid restat impii in toto hoc carmine? Quid, inquam, quod quantum ego audio, usurpari non posset a quocumque virtutum praeceptore? Legimus

---

1) Cf. l.l. pag. 128.

2) Carm. I, 35, 17.

enim in Sancta quoque Scriptura: „Statutum est hominibus semel mori" [1]).

Ex iis quae dixi hactenus, satis, puto, apparet, qua de causa comparationem gradationemve inter imperium Iovis et imperium necessitatis reiciendam esse opinatus sim. Necessitas enim *moriendi* utique in Iovem non cadit, non dominatur igitur, ut ita dicam, Iovi. Quae argumentatio, si cui debilis videatur, eos qui Mommseni tuentur explicationem, rogare velim, quare poeta adeo obscuram reddiderit suam argumentationem, intermittendo inter alteram et quartam stropham versus aliquos, qui, quod ad rationem, tam laxe cum contextu cohaerent, ut prudenter non hoc loco sed alibi Mommsenus eos explicaverit! Sane si „Clarum Giganteo triumpho" cantare voluisset in stropha altera et quarta, melius credo in tertia de „arbustis sulcisque" tacuisset!

Hic est enim versuum nexus:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in Campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege necessitas
Sortitur insignes et imos,
Omne capax movet urna nomen.

Incredibili sane modo ex altissimis, ut ita dicam, regionibus in planitiem desiluisset, ut statim deinde in altum denuo se tolleret. Qualem exercitationem nostrae aetatis sermone lepide dicas: „un Jeu de Montagne Russe poétique!"

---

1) ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν. Hebr. IX. 27.

Assentiendumne igitur est Fr. Kreppelio [1]), qui nexum inter stropham alteram et eas quae sequuntur, quamvis laxum, adesse tamen perhibet, ea ratione motus, quod in utraque parte sermo sit de potentia quadam, hominum vires superante?

Minime vero, ut mihi videtur. Etenim in quarta stropha necessitas tantae potentiae non est; saltem non diserte ea ornatur. Tota demum argumentatio poetae huc redit: Quisquis es, morieris; quaere ergo *ἀταραξίαν* ut brevis tua vita anxiis curis careat! Cum autem tanquam ab ultima terra quaerenda trahendaque est huiusmodi explicatio nunquam est admittenda, idque eo minus cum necessaria non est. Minime hercle facile erit cuiquam poetae duas componere strophas, quae non aliquam comparationem habeant, si a viro sagaci dissecentur!

Doctissimus vir Jurenka [2]) existimat id solum spectasse Horatium, ne celerius e superiore ad inferiorem regionem laberetur, alteramque sibi stropham tanquam pontem construxisse, quo iungeret utramque ripam. „Turis odores" ipso iudice sensim sine sensu reliquit poeta. „Freilich verlässt er schon die Weihrauch-durchduftete Sphären der ersten Strophe und kehrt in menschliche Verhältnisse ein, aber noch in Königliche .... und damit zugleich zu Vater Homer: in proprios greges: *ποιμένεσ λαῶν*" [3]).

Acutius haec omnia quam verius sunt dicta. — Nisi forte sacerdos virginesque puerique ipsi Iovi O. M. praestant sanctitate, caeremonia ... turis odore!

Praeterea nimis fortasse simplex potest vocari pontis

---

1) Cf. l.l. pag. 26 sqq.

2) Philologus 1898. p. 290. »Zur Würdigung der Römeroden".

3) Postea saepe videbimus qua constanti ratione d. v. omnia fere et singula Horatii verba ad Graeca exempla reducere conatus sit.

illius (nonne asinorum?) explicatio. Ingenue nemo non fatebitur argumenta, quae *nihil* dubii relinquant, vix aut ne vix quidem afferri unquam posse.

b. *Scriptoris sententia.*

At omnibus perpensis veri mihi simillimum videtur poetam carmina sua a Iove incipere voluisse, ut clare et sine ambagibus ab initio eluceret ipsorum carminum sacra natura. Laudare virtutem, celebrare pietatem, deorum cultum suadere, hoc loco in animo habebat. Nihil sane mirum nonnullos interpretes Vergilii hoc loco meminisse sic canentis:

»Ab Iove principium, Musae, Iovis omnia plena,
Ille colit terras; illi mea carmina curae [1]).

aut ipsius Horatii alibi vaticinantis:

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis" [2]).

Sed multo magis, credo, proderit in memoriam revocasse, quae scripsit Tullius (et quae nusquam antehac notata inveni) ad explanandum hunc locum:

Etenim — de Republica I § 56. Scipio cum Laelio disputans „Imitabor ergo, inquit, Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens, a Iove incipiendum putat." Tum Laelius: „Quo Iove aut quid habet illius carminis simile haec oratio?" Cui respondet Scipio: „Tantum ut rite ab eo dicendi principium sumamus quem unum *omnium deorum et hominum Regem* esse omnes doctrina expoliti uno ore consentiunt" Quid? inquit Laelius. Et ille: „quid censes nisi quod est ante oculos? Sive haec ad utilitatem vitae

1) Cf. Ecl. III v. 60—61.

2) Cf. Carm. I. 12, 13—17.

constituta sunt a principibus rerum publicarum ut *Rex* putaretur unus esse in coelo, qui *nutu*, ut ait Homerus, totum *Olympum* converteret, idemque et rex et pater haberetur omnium, sive .... e. q. s."

Iamvero duplicem ob causam negari nullo modo posse equidem existimo opinionem meam magnopere confirmari illis verbis, ne dicam totam per ea dirimi quaestionem.

Prima est quod Horatius, in una eademque stropha, unius eiusdemque capitis *ex libro Ciceronis verba* fere tradidit, altera, quod in *rebus* simul Aratum, de quo ibidem sermo erat, aperte imitatus est. „Magnis enim de rebus" acturus est Horatius.

Quid mirum „Epicuri de grege" philosophum iamiam Stoice dicturum de Stoica virtute, consuluisse egregios scriptores?

Inter quos utique primus tunc erat Tullius qui Graecorum optimos imitatus dicendi elegantia exempla sua superavit!

Hac admissa interpretatione haud necesse est indicare quomodo prima et secunda stropha inter se cohaereant.

In priore propositum suum enuntiat, in altera carminum naturam severam et religionis plenam significat.

Fortasse ita res se habet — quod eodem fere redit —: versibus 5—9 enuntiatur *formula quaedam* in peragendis sacris usitata, quae hoc loco virginum puerorumque animos ad serio audiendum adducat.

Postremo quaeritur Horatiusne significans magis quam dicens, sub Iovis imagine *Augustum* iam occulte significaverit? Quod censuerunt et alii et Mommsenus, Kreppelius, Domaszewskius. Mirum videtur quod aliqui interpretes tot tantisque obscuritatibus minime contenti, alias etiam easque prorsus inextricabiles quaestiones adicere conantur! Inextricabiles dico, quia in intentionem haudquaquam a poeta expressam audacter inquirunt.

Contra ea quae scribit Kreppelius [1]): „es kann keinem Zweifel unterliegen, dass er nur erwähnt wird (Juppiter), um ein wirksames Gegenbild zu Augustus zu bekommen. Absichtlich lässt er jetzt die Gestalt des Princeps noch nicht deutlicher hervortreten; der Kaiser wird noch durch den Gott verdeckt, dem er später kühnlich an der Seite gesetzt wird. Zu dieser Auffassung passen alsbald die Epitheta, die uns vorher bedenklich machten. Wenn einmal nach Beendigung der Bürgerkriege Augustus mit Juppiter verglichen werden sollte (!), welche Vorstellung war denn wohl geeigneter als die des gewaltigen Kroniden, der Aufruhr und Uebermuth gebändigt hat und nun ruhig und besonnen durch einen blossen Blick oder ein Nicken alles regiert?"

His, inquam, verbis quid potius opponam nescio quam haec quae Niemeyerus v. d. [2]) cum Mommseno disputans de ultimo carmine protulit: carmina, ait, exstant Horatii, „die zur Genüge beweisen, dass wo er loben wollte, er dies nicht in dunklen Andeutungen und unverständlichen Allegorien, sondern in klaren und nicht zu misdeutenden Worten zu thun verstand".

Sane valde difficile est satis firmis argumentis demonstrare hominem aliquem aliquid *non intendisse*, significare *non voluisse*. Argumentatio autem ipsius Kreppelii haud minus subtilis quam infirma mihi est visa. „Wenn einmal Augustus mit Juppiter verglichen werden *sollte*." Salva debita docto viro reverentia illud „sollen" hoc saltem loco probare nequeo. Quare quaeso credam ibi, i. e. in cycli huius initio Octavianum principem celebrari debere idque verbis non solum admodum obscuris sed sat ineptis insuper?

---

1) Cf. l.l. pag. 26.

2) Fleck. Jahrb. 1892, pag. 65. »Zur Erklärung des Horaz".

Ceterum ipse Kreppelius fatetur carmen resecta altera stropha esse prorsus absolutum, atque elegantius fortasse absolutum [1]).

Ergo, dicimus, resecemus stropham istam a reliquo carmine, atque quamvis in argumentatione cum Karstenio non faciamus, in conclusione tamen cum eo faciendum esse videtur. — Quamquam non omni ex parte. Variis enim modis explicari potest, etiamsi a reliquis sit separata stropha haec. Sed, ut est in proverbio (haud quidem vetere): „variis modis bene fit ..... et male".

Quis enim praeiudiciis non captus putet Horatium, poetam illum sanae mentis egregie semper compotem, unquam delusisse Augustum quasi „cuncta supercilio moventem?" *Aut* verbis ludens iocose Homericum illud [2]): „*νεῦσε Κρονίων*" imitatus est *aut* serio. - - Si iocose, — quod ego non puto —, Iovem potius (lic . hoc loco inepte) quam Augustum significasse eum iudico. Si serio, reprehensione dignissima se proderet adulatio quae ab indole Horatiana mihi videtur alienissima. Quod si quis negare velit tamen adulatio haec Caesari vix placuisset, — si modo eam intellexit, quod pro certo habet Kreppelius [3]): „Wenn in

---

1) Cf. l.l. pag 23, ubi haec habet v.d.: »Der Gedanke dass es noch etwas gebe, das über allem Menschlichen stehe, hält die beiden Stücke des Gedichtes zusammen. Wie auch die grösste Königsmacht nichts gegen Juppiter vermag, so befähigt auch keinerlei Hervortreten über die Mitmenschen zum Widerstand gegen die Necessitas und deren schlimmsten Teil, den Tod. Um so mehr muss es befremden (sane!) dass V. 5—8 im weiteren Gedicht gar nicht mehr zur Geltung Kommen. Auf Juppiter, die Reges timendi, die Giganten wird in der Ode später weder direct noch indirect Bezug genommen. Wir stehen also vor der Tatsache dass diese Strophe zwar in logischem Zusammenhang mit dem folgenden Teil des Gedichtes gebracht ist, dass aber die ganze Ode ohne diese Verse auch, ja vielleicht besser fertig wäre."

2) Cf. Iliad. I, 587.

3) Cf. l.l. pag. 27.

das rege öffentliche Leben Roms Verse geworfen wurden wie wir sie hier vor uns haben, so wurden sie trotz allen Versteckens auch verstanden..... So werden wir es für sicher halten müssen dass der gebildete und politisch geschulte Römer sofort merkte dass hier das politische Lied zwischen den Zeilen gelesen werden müsse." Quae supra diximus satis superque sufficiunt ad refutanda haec quae temere sunt asserta.

Reiciamus ergo hanc opinionem: *οὐ γάρ ἐστι πιθανόν.*

§ 3. De reliquis strophis Carm. I.

De strophis quae sequuntur commentatores fere consentiunt. Facile enim intellegentur, si rationem qua iampridem fuerunt explicatae tenebimus, ut non magnam praebeant ansam disputandi.

Vir doctus paulo ante laudatus recte me iudice docet singulari ratione esse premendam vocem „impia".

> Destrictus ensis cui super impia
> Cervice pendet, non Siculae dapes
> Dulce elaborabunt saporem,
> Non avium citharaeque cantus
>
> Somnum reducent.....

Quae vox cum premitur optime perspicitur nexus qui est inter versus 9—40.

Atque huc redit poetae argumentatio liberius utique enuntiata quam a viro philosopho iure exspectaveris: omnibus quidem imminet gladius destrictus i. e. mortis necessitas, at ab impiis solis animi tranquillitatem amovere potest: „impios" vero hic intellego eos, qui quomodocumque abundare cupiunt magis semper magisque divitiis vel honoribus.

Restat ut de ultimis versibus qui maiori quam ceteri omnes offensioni sunt interpretibus, pauca dicamus. Quorum

dicendi genus, si comparantur cum prima stropha, profecto sat commune est et vulgare.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Nonne vero idem est dicendum de omnibus illis quae praecedunt, si excipis priores duas strophas? Num ultimi versus adeo ineptiores sunt censendi? Mihi saltem extrema hac stropha carmen concludi videtur ieiune quidem sed aptissime.

Verum est Horatium inde a „*Giganteo Triumpho*" placide, nimis placide processisse. Parturiebant montes, est natus ridiculus mus. Haec igitur sit nota atque labes, per me licet, at non cadit in hos versus tantum. Hoc tantum reprehendere mirarique aliquis potest, quod Horatius ad semetipsum lectorum animos converterit. At hoc non male fortasse convenit èt cum indole poetae, èt cum prima stropha, ubi de semetipso tanquam de sacerdote locutus est.

Utut est, multi viri docti hic magnum vitium apud poetam notandum esse inviti duxerunt. Variasque varii excogitaverunt curationes. Alii odiosam suiipsius mentionem in suis commentariis pie eliminant. Sic Schefferus, qui alteram curavit editionem notissimi illius libri Gebhardii. Tacet ille de „valle Sabina" [1]). Sic fecerant Kiesslingius, Bentleius,

1) Cf. ib. l. l. »in des Herzens heilig stille Räume
musst du fliehen aus des Lebens Drang.
»So lösen die grossen Dichter den Streit des Lebens. Hier stehen Schiller und Horaz und reichen sich verständnissvoll die Hand". Tamen multa interesse inter Schilleri Horatiique versus quis non videt?

Doeringius, Dillenburgerus, Orellius, Peerlkampius, alii.

Alii etiam contendunt versus perperam quidem esse collocatos hoc loco et minus idoneos esse, sed ibi permansisse ex *antiquiore*, ut dicunt, editione, cum hoc carmen *solum* staret nondum adiectis nec proemiis nec ceteris quinque carminibus, quae odae Romanae hodie vocantur. Habet enim Karstenius [1]) haec: „extremi versus ostendunt Horatium non minus suam quam aliorum institutionem spectasse et consolationem, neque tamen hos versus in sollemni puerorum et puellarum allocutione minus idoneos resecandos esse censuit, *cum odam ceteris adnecteret*."

Quam annectendi rationem mihi nequaquam probari postea apparebit. Ad opus resecandi quod attinet, eos nequaquam resecandos fuisse censeo, etiamsi unquam quicquam poeta in his carminibus resecuisset [2]).

Haec autem ad defendendum Horatium (si tali indiget auxilio) afferre velim: Poeta rei memor quae enuntiatur proverbio aetatis recentioris: „verba docent facta trahunt", ipsis pueris puellisque *facto* quodam persuadere maluit quam *verbis* tantum eos exhortari.

Satis enim constat iuvenes talem qualem hic de continentia tradit doctrinam non nisi valde dubitanter accipere solere. Eam plerique magis aptam ad consolandos pauperes quam ad convertendos divites existimant. Quomodo igitur, non dicam elegantius, sed firmius confirmasset hortationem suam, quam his confirmavit versiculis? Probe lectoribus persuasum esse sciebat — aut cupiebat — se utpote et principis et nobilissimorum aetatis suae virorum amicum gratissimum, facile „vallem Sabinam" „divitiis" permutare potuisse.

Hoc non minus verum esse constat, etiamsi Epistularum

---

1) Cf. l.l. pag. 133.

2) i.e. postquam primum ea edidit.

officium ab Augusto tunc temporis ei nondum oblatum fuit. Etenim is cui aliquanto post sua sponte munus quoddam obtulit Augustus, paulo antea si ipse se paratum ostendisset, procul dubio libenter fuisset receptus.

Haec autem Friedrichii coniectura [1]), quamquam ad carmen interpretandum non est necessaria, mihi non sic temere spernenda esse videtur.

Habetur quidem apud Suetonium in vita Hor. ex litteris Augusti: „nunc *occupatissimus* et *infirmus* Horatium nostrum abducere a te cupio", sed ex his verbis me iudice non recte efficitur id postea scripsisse principem „cum, ut ait Karstenius, ipse non sufficeret propter infirmitatem, et cum Horatius ea esset aetate, ut per valetudinem se excusare posset." Nam primum nemo negabit eum propter principatus novitatem tunc supra modum fuisse occupatum. Deinde quod attinet ad infirmitatem, idem Suetonius in vita divi Augusti [2]): „Graves, inquit, et periculosas valetudines per *omnem vitam* aliquot expertus est." Et iterum alibi [3]): „de reddenda republica bis cogitavit; primum post oppressum statim Antonium .... ac rursus taedio diuturnae valetudinis". Longius rem persequi operae pretium non est.

---

1) Cf. Mnemos. l.l. p. 133 (9) ubi haec habet Karstenius: »Friedrichius suspicatus est (p. 164) Horatium hanc odam scripsisse cum recusasset epistularum officium ab Augusto sibi oblatum, et huc referenda esse quae canit in fine: *cur invidendis* e. q. s.

Verum ipse repudiasset, opinor, suam coniecturam, si ex Suetonii loco in vita Horatii non prima tantum et postrema, sed etiam media citasset, cum totus sic se habeat: Augustus quoque epistularum munus ei obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: »ante ipse sufficiebam scribendis epistulis amicorum, *nunc occupatissimus* et *infirmus* Horatium nostrum a te abducere cupio" .... Ac ne recusante quidem aut succensuit quicquam aut amicitiam suam ingerere desiit." Igitur Augustus non in medio vitae spatio hoc officium obtulit.

2) Cf. Suetonius v. d. Aug. c. 89.

3) Cf. ib. c. 28.

§ 4. Conclusio.

Ut ea quae sentio summatim complectar: imprimis persuasum mihi est Horatium profecto antequam inciperet pangere hanc Odam, in animo habuisse *continentiae* virtutem canere. Nequaquam id interpretum inventum est.

Deinde censeo eum esse usum dicendi ratione vix poetica, quae parum mihi placet. Quod non tribuere velim cum Jurenka [1]) ipsius poetae animo iocoso — qui alibi quidem hic vero non comparuit — sed explicari non posse existimo nisi ut fecit ferme Niemeyerus [2]) eo quod suscepit plus oneris Horatius quam valuit portare.

Cecinit eleganter saepenumero, versiculisque lepidissimis est allocutus amicos suos et amicas; libere enim volitare hinc inde cupiebat et callebat, sine frenis, sine consilio; simul autem atque carminis argumentum artis finibus circumscriptum habet, simul atque seipsum vinculis constrinxit, praestare nequit quae sunt praestanda.

Longum sane est exemplis quae dixi illustrare, neque proposito nostro consentaneum. At hoc ita esse omnibus patet in multis carminibus — de his tantum ago! — neque non in ipso celeberrimo Carmine Saeculari.

Idipsum quoque facile conspicitur in reliquis Odis Romanis, de quibus iam dicendum est.

---

1) Cf. l.l. pag. 293.

2) Cf. Fleck. Jahrb. 1892. 65. »Zur Erklärung des Horaz”.

CAPUT II.

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

Suspiret: eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum:
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.

Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Virtus, recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum

Solvat phaselum: saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo.

§ 1. De Carm. II stropha 1.

a. *Variae sententiae.*

Monet Seliger: „das der Anfang der Zweiten Ode dem Ende der ersten entspricht ist so unverkennbar, das es keiner weiteren Begründung bedarf."

Quae verba libenter mea facio. Et licet de recentiorum tantum opinionibus agendum nobis sit, notare tamen est operae pretium — alterius rei gratia, de qua postea erit sermo — etiam antiquos commentatores, ut Diomedem, Porphyrionem, vel negasse, novam hinc incipere odam, neque novissimos interpretes evidenti huic nexui contradixisse.

Quibus praemissis ad primam stropham accedamus. Miram admodum explanationem intrusit cl. v. Mommsenus. Etenim post alia multa, quae de recte restituta ab Augusto re militari dicenda esse censuit, hoc loco, ita hos vertit versus: „mit knappem Auskommen sich gern begnügen lerne im schneidigen Kriegsdienst die tapfere Jugend" [1]).

---

1) En ipsa d. v. verba: »Wie die stehende Armee erst durch Augustus definitiv organisiert worden ist, so ist die Schaffung der Berufssoldaten im Gegensatz zu dem Bürgersoldaten der Republik ein werk des Augustus. Die Offiziere gingen nach Augusteischer Ordnung mit verschwindenden Ausnahmen hervor aus den beiden bevorrechten Adelskategorien, und es gab kein Avancement vom Gemeinen zum Offizier. Die Gemeinen aber werden genommen aus den niederen

Apposite autem Karstenius: „Vide, inquit, quomodo verba Latina ad hodiernas Germanorum rationes et formulas inversa sint." Recte. Atque Mommsenus ab altera parte nimis hic Germanus, ab altera magna sua celeberrimaque in Romanorum historia eruditione abutitur ut multas denuo absconditas effodiat significationes. Quantam si Mommseno credas, operam adhibuisse Horatium necesse est, ut uno alterove versiculo neglegenter quasi conscripto tot Principis laudes congregaret congregatasque condensaret! Scilicet duobus prioribus cum celebraverit novam legionum formam, tertio et quarto versibus restitutas Equitum cohortes ab eo indicari audacter perhibet vir doctus. Ad talia deducimur, si opinione praeiudicata Horatium non solum ad summum artis poeticae fastigium provectum esse, sed insuper, ut ita dicam, summarium quoddam totius pene eorum temporum historiae in carminibus suis recondidisse arbitramur.

Mommsenum igitur si audis in huius odae initio palam monentur Romani milites ut modesto stipendio sint contenti, clam laudatur princeps Augustus. Quae explicatio prorsus quidem convenit cum doctissimi viri sententia de toto cyclo. Inestne autem ea in ipso carmine? Exstat carmen quoddam in Libro IV — ‚ad Lollium' — de quo postea pluribus, ubi redeunt eadem verba. Quis vero putet ibidem talem iisdem verbis vim tribuisse poetam? Attamen consulto eum illic iterasse illud „pauperiem pati" valde probabiliter per-

---

Klassen allerdings unter Ausscheidung der gewesenen Sklaven und für die Legionen auch der rohen Landbevölkerung; die freigeborenen unbemittelten Stadtsbürger sollten, hauptsächlich durch freiwillige Stellung die Soldaten, wie die Unteroffizieren liefern. Das liegt zu Grunde bei dem wohlbekannten Spruch des Dichters: mit knappem Auskommen sich gern begnügen lerne im schneidigen Kriegsdienst die tapfere Jugend und zu Pferde dem Parther die Spitze bieten; wobei (!) weiter daran gedacht is dass die ganz verschwundene Bürgerreiterei durch Augustus wider ins Leben berufen ward.

hibebimus [1]). Sed finge poetam talia docere voluisse; tum simul stolidissimum, ni fallor, nexum admittas necesse est. Vide mihi hosce versus:

> . . . . . »Sit contentus parvo suo stipendio miles" et . . . . .
> »Parthos feroces vexet eques metuendus hasta"!!

Mirabilem sane cohaerentiam! Extremum hoc epitheton: „metuendus hasta" defendere equidem nolim, nec „ornans" vocare velim potius quam superfluum; quamvis igitur displiceat mihi locus ille quod ad formam, quia nimis artificiosus mihi videtur, nihilominus Horatium in unum consuisse quasi ineptum prorsus sartorem adeo diversa qualia sumit Mommsenus, minime credam.

b. *Sententia scriptoris.*

Quomodo igitur tuenda est sana totius strophae significatio? Primum nulla, nulla prorsus earum rerum, quae verbis continentur, singulariter ita est premenda quasi de ea praecipue hic agat poeta. Itaque non inquirendum est [2]) qualem intellegat pauperiem, neque quare de puero loquatur, non de viro; neque rogandum unde feroces illi Parthi subito prodierint, quasi in singulis his rebus carminis ratio consistat. Qui haec omnia scire cupiet turbabitur. Sagacissimi iam interpretes omnem operam suam in eo posuerunt, ut singula penitus explanarent, sed frustra fuerunt.

Nonne hinc est colligendum, poetam universe tantum et per exempla, distincte indicasse, quid boni, quid laude digni iam laudare cuperet? Sicut in prima oda nunc quoque certum habuit propositum, et, ut statim quid sentiam appareat, antequam rationem reddo opinionis meae, haec pauca sunt praemittenda: non servari posse credo carminis

---

1) Cf. pag. 35 sqq.

2) Cf. varios interpretes.

unitatem qualemcumque nisi praesumimus et omnino tenemus poetam inde ab initio *virtutem* latissimo quodam sensu ante oculos habuisse. Neque eum singula, quae missis ambagibus attigit, attigisse nisi ob propositum supra dictum: ut celebraret eam animi vim, ex qua emanant illa omnia, quae viri Romani in civibus Rei Publicae Romanae antiquitus essent admirati: fortitudo, magnanimitas, summus amor patriae, summus contemptus vilium rerum, summa denique deorum reverentia.

Nolumus igitur inscribere alteram odam cum L. Poeppelmannio [2]): „seid tapfer, eitler Ehrsucht bar, pflegt fromme Treu", quia talis inscriptio partem tantum, et ne hanc quidem recte prorsus indicat. Nolumus cum P. Doerwaldio [1]) hanc carminis arbitrari summam: „im zweiten Gedicht steht der in freiwilliger Armut und hartem Kriegerleben gegen den Reichsfeind kämpfende Jüngling dem unkriegerischen, im Genuszleben erschlafften, dem um die Volksgunst buhlenden Manne, der die Unsterblichkeit durch wahre Verdienst suchende, gegenüber."

Sed verbo dicam, ne tot opinionum taedeat lectorem: nolumus tripartito dividere, dissecare carmen hoc vere unum, nec premere quidquam nisi ipsam *virtutem*, vel cetera quatenus virtutis signa atque indicia sunt.

Iam — ut admodum quidem ‚prosaice' sed verissime, ni fallor, rem declaremus — poetam ad finem odae primae postquam pervenit, iam acturum de virtute et tanquam dubitantem unde inciperet, ab his: „divitias operosiores" exordium secundae odae sumpsisse credo. Et ita virtutis laudem incohavit ut proponeret pueris suis verum militem ac fortem, quem quis versari in mediis divitiis ac

---

1) Programma Gymn. zu Trier 1892.

2) Lehrproben und Lehrgänge 1905, III Heft.

voluptatibus haud facile fingat; qui in mediis periculis et aerumnis indigentiam pro nihilo ducit, eo quod aliorum omnium immemor maiora petit. Consulto dixi: *Suis pueris.* Etenim quo saepius et attentius tres primas strophas legebam, eo magis persuadebatur mihi, Horatium nequaquam hic oblitum fuisse eorum, coram quibus sermonem suum haberet. — „Virginibus puerisque canto" — Virgines modo eximas, nonne facile conceditur valde esse idoneos versus hos ut iuvenum animos permoveant? Vix enim — ut taceam de iis qui iam sunt: „alt und kalt" — vix ego credere possum milites, qui ad maturam aetatem pervenerint, inflammari talibus versiculis. Pueri vero, quorum animus et sensus, rebus fictis totus patet, — quia eorum vita res ipsas nondum experta est; — laete haec accipient, facile allicientur Homerica illa dictione; cogitatione iam rapientur in campum: „sub divo et trepidis in rebus", depingent sibi utique: „moenia illa hostica", trementem „matronam", trementem virginem adultam, depingent sibi ante omnia seipsos tanquam „asperos leones", imaginem illam quantum dilectam! quos „per medias rapit ira caedes".

Haec si ita explices, propositum poetae, quod supra indicavimus, imprimis intuens, *exhortandi et movendi*, optime eum munere suo functum esse, spero fore ut non neges. Si deinde ad proprium huius carminis consilium attendas, ut ad virtutem, qualem intellegunt Romani, alliciatur, perducatur iuventus, eum non male carmen incohasse, aeque est fatendum.

Ostendit enim pueris virtutis fructus ipsis plerumque dulcissimos, appetendos, belli laudem et rei militaris gloriam insignem. Quibus laete capti parati magis erunt ad audienda reliqua. Quantas autem difficultates et obscuritates provocemus, si cum Mommseno pro pueris illis adultos substituamus; et quae poeta *universe* tantum depinxit, *definite*

intellegendum esse arbitremur, nemo ut opinor non videt. Tum solum, si pravam illam interpretandi rationem sequimur, oritur quaestio illa subtilis et otiosa, utrum pauperies hic proponatur ut optimus vivendi finis, an ut ad ulteriorem finem conducens; quare ut unum, quare ut alterum; philosophanturque plus commentatores quam unquam fecit Horatius. Hinc miserrimum illud: „hineininterpretieren" quod carmini intellegendo maxime nocet.

c. *Quae contra dicuntur, refelluntur.*

At, dicat quispiam, si *universe tantum* pauperiem laudaverit, non multum valebit exhortatio. Umbram persequeretur, re vera nihil effecturus.

Cui respondeo bifariam. Primum me multum dubitare, homone quem lautius liberaliusque vivere nemo nesciebat, serio sit ausus pauperiem, eamque ‚angustam'! aliis ex animo commendare.

Deinde me non putare Horatium eam tam magni fecisse; contrarium fere saepe poetice laudavit [1]), ideoque angustam pauperiem i. e. indigentiam, nunquam docuit appetendam. Sic igitur haec intellegenda duco: dum aliquis puer erit animum et corpus praeparet ut postea in proelio pauperiem pati possit.

Non igitur facio cum Nauckio: „Durch die Armut und durch die rauhe Zucht gestählt möge der Römische Jüngling zu einem Schrecken der Feinde heranwachsen" [2]). Sed multo melius Kreppelius: „Nicht durch die Armut — oder vielmehr durch das Ertragen der Armut — wird der junge Römer der Schrecken der Feinde, sondern dass

1) Illud: »desiderare quod *satis* est".

2) In decima libri sui editione audacius et pressius sic habet: »dasz es der scharfe Felddienst ist, durch den der durch denselben erstarkte Knabe Entbehrung lernen soll, springt von selbst in die Augen".

er Armut tragen kann und dass er den Feinden furchtbar wird, ist beides Wirkung einer Ursache" [1]. Hucusque enim cum eo consentio; verum non cum eodem addere velim hanc esse causam: „die Kraft des Körpers, die strenger Kriegsdienst verleiht." Corporis robur est quidem utriusque rei proxima *condicio*, nequaquam autem ultima *causa*, quae hic praecipue erat laudanda. Facile fieri potest ut qui iuvenis exercendo se ludis gymnasticis vires suas mirum in modum auxerit, nequaquam tamen pauperiei aut belli sit patiens. Sola autem virtus facit ut quis iam ante proelium pueritiae aetate abstineat a voluptatibus, mollitiemque fugiat; ita ut aptus fiat qui postea occasione data sustineat etiam indigentiam. Etenim non sufficit ut polleat aliquis viribus robustis. Non quidem corpus eius, verum animus succumbet — quod maius est — si rebus multis in bello cogetur carere, quibus erat assuefactus. Atque haud secus intellegendum duco illud „condiscat".

»οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸσ γίγνεται ἐν πολέμῳ".

Parthi feroces quid hoc loco sibi velint non nimis subtiliter inquirendum esse consequitur ex iis quae supra dixi. Neque alia de causa nomine indicatam esse gentem illam, nisi quod fama ferocitatis prae ceteris populi Romani hostibus excelleret. Si quis hic quoque occulte Horatium Augusti partes agere credat, luculenter ostendat velimus sententiam suam, antequam eam sequamur. Etenim quid constet in historia de harum rerum statu, postea dicemus ubi de carmine V erit agendum. Pueri reipublicae regendae callidas artes nullo modo intellegebant, noverant vero optime quantopere timendi essent Parthi, qui Crassum antea, nuper Antonium penitus profligassent. Eosdem vincere quis eorum non cupiebat?

---

1) Cf. l.l. pag. 35.

§ 2. De Carminis II unitate.

a. *Sententiarun cognitio.*

Quod iam attinet ad carminis unitatem, defendendam eam esse puto. Quamquam èt Iurenka èt vir doctus saepius iam laudatus Fr. Kreppelius eandem fere ac nostram tuentur opinionem neuter tamen videtur mihi recta eam argumentatione confirmasse. Quod eo libentius notare voluerim quoniam maius imminet periculum ne quis argumentis non contentus ipsam rem reiciat. Audiamus utrumque.

Iurenka sat temere: „es ist klar, das Horaz in dem zweiten Gedichte die „Tugend" der Stoïker, aber in der Prägung als „Romana virtus" feiern will. Jene „virtus" die in einfachen Verhältnissen wurzelt und gedeiht, um sich dann unter den verschiedensten Verhältnissen zu bewahren." Sequitur solum haec probatio: „Das lehrt die emphatische Stellung des Wortes „virtus" an den Anfängen zweier Strophen der 5en und 6en. Additque in fine: „es wird sich uns nun zeigen, dass Horaz — was ihm übrigens nicht eben zum Tadel gereicht — es nicht zuwegebrachte, diese Tugend in der Form rein didaktischer Lyrik fest zu halten, dasz er vielmehr unablässig konkrete Erscheinungsformen derselben im Auge behält, sonach seine Lyrik in Fülle epische Klänge beimischt." Paucis exceptis cum eo prorsus facimus. At vero qualis! quamque ieiuna aftirmatio! Quasi nemo unquam dubitasset quin ipse recte sentiret! Sane omnes, ni fallor, interpretes ex eo quod quinta et sexta stropha initium sumunt a voce „virtus" concluserunt in hac parte carminis utique agi de virtute, in priore autem, plerique, aliud quid laudari, commendari semper opinati sunt. Ex quibus apparet, conclusionem doctissimi viri maiore commentario carere non potuisse: verum est, eum verbo saltem leviter indicasse qua re maxime moveretur

ad sentiendum id quod sentit. „Emphatice", inquit, ponitur vox „virtus", atque recte ut videbimus. Verum longe plurimi dixerunt et dicent voce virtutis hic exprimi virtutem civilem. Quod fuit fortasse refutandum.

Argumentatione longiore nec tamen firmiore eandem fere doctrinam profitetur Fr. Kreppelius [1]). Emphasim illam, de qua supra Iurenka, aliter ipse interpretari videtur. Agens de versibus, qui excipiunt, illud „Dulce et decorum est pro patria mori", de quibus mox dicendum erit, sic prosequitur: „Das unverkennbare Nachlassen des dichterischen Schwunges in diesen letzten Versen macht es schon an sich deutlich dass mit v. 16 ein gewisser Abschluss erreicht ist (?) „Die feierliche Betönung mit der dann in v. 17 das Wort „virtus" an die Spitze gestellt ist, dazu die Anaphora in den v.v. 17 und 21 verstärken diesen Eindruck, anders ist nicht eben verwunderlich, dass al diese Factoren zusammen manche Erklärer dazu veranlasst haben, den Einschnitt nach v. 16 eine weit über das berechtigte Mass hinausgehende Bedeutung zuzuschreiben."

Miraberis forsan, Lector, quid nunc contra eosdem sit allaturus. Iam audi magisque miraberis. Etenim hic vir Germanus, maximi suae nationis privilegii oblitus in illis quae sequuntur non tradidisse mihi videtur: „Die tiefe tüchtige Wissenschaft." Sic enim progreditur:

„Es handelt sich hiebei um die für den Aufbau der ganzen Ode höchst wichtige Frage, ob uns wie der Name so auch der Begriff der Virtus vor dem 17 Verse überhaupt nicht entgegentritt. Ich glaube im Gegenteil, das auch schon in den ersten Strophen, dieser Begriff vom Dichter gemeint ist, und auch dem Leser unmittelbar, und schon ehe er die folgenden Strophen gelesen hat, zum

---

1) Cf. l.l. pag. 36.

Bewusstsein kommt. Oder ist es nicht virtus wenn man so handelt wie es der Dichter V, 4—6 fordert, oder wenn man sich dem Tode fürs Vaterland weiht? Es ist ja zweifellos richtig wenn Karsten (Mnem. 26, 126) erklärt, dass im ersten Teil der Ode von der Fortitudo gehandelt sei; aber wenn dieser Fortitudo dann im zweiten Teil die Virtus entgegengestellt wird, so kann das doch nicht recht befriedigen; denn wenn ohne Einschränkung und Specialisierung von Virtus geredet wird so pflegt man doch die kriegerische Tugend mit einzuschliessen."

Sane mihi quoque ita visum est neque puto quemquam negasse fortitudinem in virtute contineri quippe cuius notio latissime pateat; sed ni fallor haec quidem non quaeruntur. Etenim opinionum diversitas in hoc tantum versatur, sitne carminis argumentum multiplex necne. Atque quantum video et intellego, doctissimus Karstenius nequaquam *opposuit* fortitudinem virtuti qualem intellegit Kreppelius et me habet comitem. Clare enim sic habet [1]):

„Apparet igitur odam non a capite ad calcem in una virtute *bellica* morari sed usque ad vs. 24 collaudare haec tria: primum educationem per acrem militiam quae sua natura in angusta panpertate versatur ....; dein fortitudinem ac patriae amorem; tertio loco virtutem et magnanimitatem."

Adverte iam ea quae sequuntur, quae si recte legisset Kreppelius illa annotatio de oppositione in mentem ei non venisset: „Haec autem tria inter se non disiuncta esse, sed simul inveniri posse et debere in bono civi, demonstrat oda ad Lollium IV, 9, 34, sqq."

Attamen argumenti unitatem impugnavit Karstenius quare a Kreppelio refellendus fortasse erat. Dolendum igitur

---

1) Cf. l.l. pag. 139.

illum paratissimum alioquin opinionum suarum defensorem a recta via deflexisse et non contra Karstenium nec contra quemvis alium pugnasse sed Hispani illius Equitis instar contra molas quas vocant velares.

Karstenius, inquam, refelli *fortasse* debuit. Etenim eius opinionem multum distare a nostra non existimo. Eo tantum permotus fuisse mihi videtur, ut unitatem negaret, quod illa quae tunc temporis a nonnullis defendebatur unitas falso utique nitebatur fundamento. Unitas verum quam Iurenka primus proposuit a laudato scriptore non investigata est. Contendebant enim in utriusque carminis parte virtutem significari *bellicam* tantum [1]. Huic vero opinioni adversatus est Karstenius, illamque quae ipso iudice ab Horatio laudatur virtutem cum Tullio eleganter sic definivit: „adfectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos in quibus est, et ipsa per se, seperata etiam utilitate, laudabilis; ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones, omnisque recta oratio" [2]. Hac igitur virtute quam ut totius odae argumentum nos considerare posse ac debere opinamur, Karstenius contineri fortitudinem nequaquam negavit.

Sed redeamus ad argumentationem doctissimi viri Kreppelii „Wir wollen uns nur denken, das wir einem Zuhörer dem das Gedicht bisher unbekannt war, die ersten vier Strophen vorgelesen hätten. Wenn wir dann eine Pause machten und erklärten: Jetzt kommt etwas Neues, jetzt redet Horaz de virtute, so würde unser Zuhörer sich sicherlich verwundern und würde mit Recht behaupten, davon sei ja doch bisher auch schon geredet

---

1) Ut colligi potest cum ex Monmseni l.l., tum ex Friedrichii et Kiesslingii commentariis.

2) Tusc. IV. 34.

worden. In der Tat ist alles, was im ersten Teile am tüchtigen Römer gerühmt ist, so sehr dem Begriff Virtus entsprechend, dasz es wohl mancher Leser gar nicht merkt, dass das Wort Virtus noch gar nicht gebraucht worden ist."

Tale argumentum, quamquam non temere est reiciendum, ni vehementer fallor, idoneum est quidem ut alia firmiora confirmet et illustret, non ut iis persuadeat, qui aliter sentiant. Suo enim iure unusquisque negabit, quae affirmavit auctor. Paulum igitur diligentius de illa re est inquirendum.

b. *Scriptoris argumentatio.*

Atque unitatem nullo modo ab interprete fictam sed ab ipso poeta significatam esse restat ut probetur [1]).

Hoc optime fieri posse semper credidi hac argumentatione ‚negativa', ut ita dicam:

Si hoc carmen unum idemque persequi argumentum *virtutis* non conceditur, latissime patet via ad diversas divisiones faciendas. Quo fit et factum iam est, ut alii in tres, alii in quattuor, alii forte in tot quot numerantur strophae, diversa carmina unum carmen dissecent. Atque, ubi vinculum illud internum supra indicatum solvi passus eris misere dilabitur haec oda, in partes, quae me iudice nec per se possunt stare, nec satis cohaerere videntur cum ceteris, ut unum corpusculum efficiant. — Quod ad verba: „quae non possunt stare per se". — Quoniam plura sunt quam ut singula iterum sine taedio examinare possimus, unum tantum alterumve exemplum exponere liceat. — Quis exempli gratia absolutam esse credat nec in media re *haerere* partem hanc:

»Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
  Condiscat et Parthos feroces
    Vexet eques metuendus hasta,

1) Vide praeterea, quae scripsi infra ad confirmandam hanc sententiam. § 8, pag. 70 sq.

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

Suspiret: »eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira sedes?"

Quis incipere credat postremam illam hisce verbis:

»Est *et* fideli tuta silentio merces" —

nisi pro mera versione poetae alicuius Graeci eam quis habeat, — et ne sic quidem fieri potest. Aperte enim indicatur de aliqua alterius rei mercede iam esse dictum antea. Divisionem protuli Peerlkampianam, qui vir celeberrimus, cum ceteras odas Romanas tum hanc ex more suo ordinavit. Neque video quo iure is qui nostrae non assentitur opinioni, hoc saltem ei exprobret quod ‚γνώμας' singulas vocaverit partes. Nam vinculum quoddam firmum nisi agnoscas, in illam doctissimi viri interpretationem pedibus eundum ego quoque censeo. Quid secus sibi velit a reliquis versibus separata stropha illa quarta:

»Dulce et decorum est pro patria mori.
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo."

Essent profecto quasi *fragmenta* longiorum carminum, quae numquam absolvisset poeta, nunc autem temere in unum redacta [1]). — Quam vero perabsurda compositio!

1) De methodo Peerlkampiana rectius quia aequius quam ceteri iudicavit Hartmannus — De Horatio Poeta — ubi inter alia multa hanc dat quam vocare velim conclusionem: »Quodsi quis me roget: ergone tibi temerariae istae Peerlkampii coniecturae certarum emendationum instar videntur?" ei sic respondere velim ut primo aspectu ei aenigma aliquod proponere videar. Dico enim me si *discentium*

Atqui, si melior exstat, quis meliorem non praeferat explicationem?

Ipse poeta alibi easdem ferme sententias coegit, in oda „ad Lollium” quae vulgo inscribitur:

»Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.”

Quidquid sentimus de variorum Carminum librorum compositione, teste Suetonio, (Vita Horatii Flacci) credendum est nobis Librum saltem IV „ex longo intervallo” prioribus esse additum. Itaque mihi huius rei non ignaro veri simillimum videtur Horatium praeclarum illum locum de *virtute* ex ipsis suis odis antea conscriptis depromptum, iterare voluisse, ut Lollium, amicum sibi virum maxime honoraret. Quale si agnovisset poetae propositum Hartmannus in Libro suo non adeo fortasse severe [1]) Lollii odam condemnasset. Quae tamen condemnatio mihi nunc vel confirmare videtur meam opinionem. Habet enim l.l. doctissimus elegantissimusque scriptor: „Sequitur Lollii virtutum enumeratio frigidissima ineptissimaque, quam qui uno loco emendare conati sunt viri docti mihi operam perdidisse videntur. Primaria antem Lollii virtus est abstinentia, divitiarumque contemptus. Illam ergo lectoribus

---

in usum Horatius mihi edendus esset, omnes aut fere omnes Peerlkampii coniecturas in textum esse recepturum; sin in *doctorum* aliquo conventu statuendum esset quid ipse Horatius scripsisse videretur, vix ullum traditae lectionis locum tangere me ausurum.”

1) De Horatio Poeta, pag. 55.

commendat poeta et ita longo Carmini imponit finem. Poemane facere hoc est an pannos pannis assuere?" Nostra vero coniectura admissa, ex utroque carmine complura inter se comparare poterimus; quae comparatio non male sententiam nostram confirmabit. Ea quae iuxtaposui sub IV. et VI vel ad *verba*, cetera ad *sensum* tantum inter se conveniunt.

I.

IV. 9, 39.	III. 2, 17.
»*Consulque non unius* anni sed *quotiens* bonus atque fidus".	»Virtus *repulsae nescia* sordidae" e. q. s.

II.

IV. 9, 45.	III. 1, 25.
»Non possidentem multa vocaveris recte beatum".	»Desiderantem, quod satis est, [neque Tumultuosum sollicitat mare Nec saevos Areturi cadentis Impetus aut orientis Haedi, Non verberatae grandine vineae Fundusque mendax, arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hiemes iniquas.]

III.

IV. 9, 46.	III. 2, 25.
Rectius occupat Nomen beati, qui deorum Muneribus sapienter uti . . . . callet	»Est et fideli tuta silentio merces."

De his postea pluribus erit dicendum. Primo enim aspectu audacter comparata videantur cuipiam cum III. 2.

Sed satis superque huius rei rationem mox redditurum me crede [1]).

IV.

IV. 9, 49.	III. 2, 1.
»Duramque callet pauperiem pati"	»Angustam amice pauperiem pati"

1) Vide infra pag. 67 sqq.

V.

IV. 9, 50.	III. 2, 14—16.
»Peiusque leto flagitium timet"	— »Mors.... nec parcit imbellis iuventae poplitibus timidoque tergo".

VI.

IV. 9, 51—52.	III. 2, 13.
»Non ille pro..... patria timidus perire"	»Dulce et decorum est pro patria mori".

Adicio deinde quae supra [1]) ad confirmandam opinionem exposui et pro certo habendam esse iudico unitatem a poeta esse spectatam vel ut aliis verbis utar eum ab initio cantare voluisse laudem virtutis, quamquam in duabus tantum strophis ipso *nomine* eam indicat. Qua ratione in iis quae sequuntur insit virtutis *ἰδέα* alias videbimus [2]).

§ 3. De Carm. II stropha 4ª.

Nam primum pauca sunt dicenda de stropha quarta, cum de iis, quae in ea continentur, tum de ipsa ratione dicendi.

Iampridem multi viri docti operam dederunt, ut ubique Horatii carminum Graeca invenirent exempla. Frustra igitur quaesiveris nova, quae nondum ab aliis sint prolata. Cautissime versandum esse in hac re optimo cuique hodie persuasum est — Iurenkam aliosque paucos si excipias. Poetae enim Graecorum philosophorum doctrina penitus imbuto atque saepenumero Graecorum poetarum argumenta sua facienti difficillimum sane erit nunquam easdem ferme sententias tradere. Itaque non nisi caute opinandum est imitationem de industria hic factam esse ab Horatio [3]).

---

1) Vide quae inde a pag. 24 exposuimus.

2) Cf. pag. 39 sqq.

3) Innumeros, quos de hac re libros conscripserunt viri docti, laudatos invenies in commentario Arnoldii-Friesii qui inscribitur: »Die Griechischen Studiën des Horaz" pag. IX sqq.

Ipse scriptor absurditatis credo culmen attigit, singula poetae dicta

Nihilominus in altera hac oda adeo aperte peccavit ut omnis dubitatio tollatur.

Etenim Tyrt. fr. 10. 1—legimus [1]):

τεθναμέναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα
ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

Porro pro

'mors et fugacem persequitur virum'

apud Simonidem legimus [2]).

'Ο δ' αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.

Quamvis non desint scriptores, qui in rebus quoque minime dubiis disputandum esse credant negarintque esse verum — quod Bentleius notavit — Horatium hoc loco verbum de verbo reddidisse versus Graecos, operae pretium non esse existimo ut longius de hac re disseramus.

Aliud quid animadvertere percupio, quod magnopere miror me nondum indicatum invenisse: poetae *consilio*

---

verbave cum Graecis comparans exemplis. Nonne ludere eum credimus ubi haec inter alia multa prodere ausus est: pag. 36.

»Noch mehr aber zeigt sich Thätigkeit, Klugheit und Geschmack der »apis Matina" in Wahl und Nachbildung *einzelner Ausdrücke und Bilder,* (!) die von den Alexandrinern mit besonderem Geschick und Glück wo nicht erfunden, so doch in Umlauf gesetzt waren. So... (risum teneatis amici!)..... so das bedeutsame *debere* Od. I. 3, 6, nachgebildet dem *ὀφέλλειν* des Callim. fr. 126 Bentl. — das zarte *animae dimidium meae* Od. I. 3, 8 nach Callimachus und Meleagers *ἥμισύ μεν ψυχῆσ* — das kühne *aequo pulsat pede* Od. I. 4, 13 nach Callim. H. in Ap. 3: *καὶ δήπου τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει* — das euphemistische *domus Plutonia* wie *Νυκτὸσ δόμοσ* Anyte Ep. 20, ähnlich wie der *longus somnus* Od. III, 11, 38 nach des Moschus klassischem *μάλα μακρὸσ ἀτέρμων νήγρετοσ ὕπνοσ*". cet. cet. Quare quaeso non addidit v. d.: »und *pedes* passim wie *πόδες* bei Plato und Euripides passim und... sed haec hactenus.

1) Bergk-Hiller 8. (6).

2) Fr. 48 Bergk Hiller.

prorsus ineptam esse hanc stropham. Etenim splendidissimam commendat virtutem, intaminatos honores, magnanimitatem illam qua apud antiquos vel magis fortasse excellebant quam nostra aetate viri fortes, pugnandi et moriendi pro patria. Ecce vero qualis subiungitur stimulus! Ne fallamini carissimi mei pueri! Nolite quaeso timere et nolite effugere ex acie: tamen mortem non vitabitis! Non negabo talem considerationem philosopho esse dignissimam, placide ratiocinante et singula pericula digitis ut ita dicam computante. At hoc loco posita prorsus exstinguit ardorem illum desideriumque honorum quo flagrare omnino debet iuventus bellicosa. Nec, ut antea iam innui, facere possum cum iis, qui viri fortis dissimilem „poplitibus timidoque tergo" proponi credunt, quo magis excelleat alter; quia manifeste premuntur voces: *Mors* in altero; *nec parcit* in tertio versu [1]).

§ 4. De Carm. II strophis 5—6. Dividuntur interpretes in tres classes.

Iam nova oritur quaestio, arte quidem cohaerens cum ea de qua modo diximus; nondum tamen data opera a nobis tractata. De significatione stropharum quintae ac

---

1) Non puto poetam in eodem orationis contextu eundem versum invenisse apud Simonidem. Dolendum sane, quod non nisi fragmentum nobis restat. Verum quod attinet ad alteram partem in qua Tyrtaeum est secutus:

Dulce et decorum est pro patria mori

Ipse Tyrtaeus utique melius, ipse optime finem suum prosequitur, acriter instans, vehementer impellens: *ϑυμῷ γῆς περὶ τῆσδε μαχώμεϑα καὶ περὶ παίδων ϑνήσκωμεν ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι. ὦ νέοι, ἀλλὰ μάχεσϑε παρ' ἀλλήλοισι μένοντεσ μηδὲ φυγῆσ αἰσχρῆσ ἄρχετε μηδὲ φόβου, ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσϑε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ ϑυμόν, μηδὲ φιλοψυχεῖτ' ἀνδράσι μαρνάμενοι.*

Tales hercle versus quis est cui non placeant? Ardorem illum apud Horatium prorsus deficere fatendum est.

sextae. Quae virorum doctorum disputationibus adeo sunt obscuratae, implicatae, ut magno studio omne praeiudicium sit sedulo amovendum antequam transeamus ad sententiarum investigationem.

Spem tantum non aufert nobis vir ille optime meritus qui „Der viel interpretierte Horaz tritt mit zuviel Gepäck an seinen heutigen Lesern heran. Es gehört eine kräftige und etwas rücksichtslose Natur dazu, sich durch diesen Haufen aufgestapelter Bemerkungen bis zu *Horaz selbst* Bahn zu machen."

Attamen macte virtute.

a. *De iis qui virtutem bellicam indicari putant.*

Initium sumamus ab iis qui per vocem virtutis *fortitudinem* indicari perhibent ut sunt Mommsenus, Kiesslingius, aliquomodo Jurenka, porro Fr. Heidenhainius [1]) in refutatione quam scripsit adversus R. Riesium [2]), alii.

Ut recte reddamus audacem Mommseni interpretationem, integrum ferme locum — quantum necesse est — transscribendum esse existimo. Ipse vir celeberrimus in duas tantum partes — quod attinet ad sententiam — divisit carmen secundum, quarum altera ab initio usque ad versum vigesimum quintum sex continet strophas, altera duabus extremis absolvitur.

„Das folgende Gedicht preist ebenfalls algemein die Tapferkeit und die Rechtschaffenheit, aber beide mit besonderer Beziehung auf zwei der wichtigsten Institutionen der neuen Monarchie: den neuen Stand des Berufssoldaten und den ebenfalls neuen des kaiserlichen Beambten." Sequuntur ea, quae supra iam notavimus et hic tanquam

---

1) Zeitschr. f. Gymn. 1898, 718 sqq.

2) Ib. 1899, 66—71.

minoris momenti omittimus. Postquam autem suo more vertit ‚angustam amice p. p.' sic pergit de ipsis versibus iam agens:

„Dieser Soldat ist zum Besseren berufen als zum Politisiren. Die Ehren der Tapfren haben nichts zu schaffen mit dem unsauberen Treiben des Wahlgeschäfts; er nimmt und verliert nicht die Lictorenbeile nach der Laune der Menge, sein Beruf ist der Kriegsdienst, seine Freude und sein Stolz für das Vaterland zu sterben." — Adverte, lector, quomodo de industria commisceat scriptor praeclarus strophas illas saepenumero a pluribus interpretibus inter se distinctas — „Das ist der Soldat der Monarchie, der arme Römische Bürgersmann, der nach zwanzigjährigem Dienst, wenn es ihm nicht beschieden war für sein Vaterland zu sterben, als ausgedienter Unterofficier seine Altersversorgung in bürgerlicher Ruhe findet."

Diversa ratione talia decreta — (nihil enim argumentis confirmavit Mommsenus) — tractare utique possumus. Potest fieri ut quis auctoritatem celeberrimi viri, magni, pluris fortasse quam par sit faciens sic ratiocinetur: Ante Mommsenum maxime laudati interpretes pene ad unum omnes aliud senserunt. Hoc vir doctissimus minime ignoravit. Habuit ergo gravem, quam tamen non patefecit, rationem ut ab iis disceret. Neque enim Bentleius [1]), qui de hac re nihil, neque Doeringius qui virtutem civilem „praeter virtutem bellicam aliam" intellegit: neque doctissimus Orellius qui de virtute Stoica poetam dicere docuit, neque ne plures enumerem, praeclarus Peerlkampius nostras — „cuius cum editione — teste Hartmanno — omnes quae nostra aetate in luce prodeunt, quotquot sunt artissimo quodam cohaerent vinculo" [2]),

---

1) Cf. d. v. editionem Hor. ad L. III. c. 1.

2) Cf. l.l. pag. 1.

quique huius loci brevissime hanc tradidit interpretationem: „vera virtus sibi ipsa est merces, et coelo beat," — Mommseni illam significationem in versibus inesse sunt suspicati. Atqui non temere dicendum est egisse virum illum, in arte critica tam egregie peritum. Quod enim Kiesslingius in antiquiore editione sine ullo valido argumento contendat: virtus non est *ἀρετή* sed *ἀνδρεία*, id eum certo permovere non potuit [1]). Cum benevolentia quadam ita argumentari credendum est i. a. Seligerum [2]), qui nimio suo pugnandi studio cum doctissimo viro Pluessio facile hic quoque indulgens, eo ipso quod Pluessii sententiam refellit — quam nos non defendimus — probasse se putat, ut opinor, suam doctrinam esse veram. Attamen ut aliis verbis, ita eandem quam Mommsenus profert sententiam. Neque magis eam fulcire videtur, quamvis ipsi non sollemnis oratio in principis cuiusquam honorem fuerit habenda, verum otiose commentatio scribenda. „Gerade in diesem Gedichte zeigt der Dichter dem heranwachsendem Geschlechte die wahren Ziele, denen es nachstreben soll" — Id sine dubio omnes aequaliter concedunt — „und weist auf die Vorteile hin, welche die neue Ordnung der Dinge unter Augustus im Gegensatz zu den alten republikanischen bietet. — Quod temere ni fallor docetur. Etenim nullam prorsus adiungit argumentum sed prosequitur: „Plüss sieht in den Strophen 5 und 6 eine Warnung vor der Bewerbung um Staatsämbter. In dieser Zurückgezogenheit liegt nach ihm eine „neue, nur im monarchischen Staate denkbare Mannestugend." Aber hat Horaz denn geglaubt, die Staatsgeschäfte würden sich nun von selbst vollziehen, die Kriege würden

---

1) Kiesslingius-Heinzius 1908 haec docet: »virtus: diese so erworbene, ‚Mannheit' — nicht blosz ‚Tapferkeit' sondern die Gesinnung des wahren vir, wie er des Dichters Ideal ist."

2) Cf. l.l. pag 304.

sich selbst führen, ohne das es der begeisterungsvollen Hingabe des einzelnen an das Vaterland bedürfte? — Admodum callide duas illas res diversas, rem militarem et rem civilem, simul proponit vir doctus. Attamen quis est qui credat Pluessium, virum doctissimum et qui in ipsis quaestionibus Horatianis multum versatus est adeo fortiter sententiam talem protulisse? „Mit der Empfehlung der Tapferkeit greift der Dichter auf einen der hervorstehendsten Züge im Wesen der Römer zurück; einem Vertreter des Römertums aber, wie es sich zum Beispiel im ersten Punischen Kriege bewährte, mussten Anschauungen, wie sie Plüss in Horaz hineinerklärt, geradezu als Wahnsinn (!) erscheinen."

Nostrum non est Pluessii sententias defendere immo libentissime cum Seligero negamus Horatium pueris suis persuadere voluisse ut vitam in solitudine ducerent: animadvertendum autem existimo refutationem viri laudati non multum in his valere: probandum enim ei fuit Horatium hoc loco partes egisse „eines Vertreters des Römertums etc." neque non ostendere, talem virum, honorum cupidinem in maiore invenum parte non improbasse... Etenim exceptiones admittere Horatium ipse Pluessius luculenter ostendit. Deinde quod ad nos magis attinet poeta etiamsi non de virtute bellica „die Tapferkeit" sed de variis virtutis generibus agere voluit iam nihilo minus de hoc loco valet atque valebit: „mit der Empfehlung etc." ut supra. Numquid fortasse fortitudo Romanorum solum animi bonum erat?

Fortitudinemne praecipue laudat Tullius verbis illis ubi dicit: „*Virtute* vero gubernante rem publicam quid potest esse praeclarius? Cum is qui imperat aliis, servit ipse nulli cupididati, cum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam, ut legem, praefert suis

civibus" [1]). Egregium gubernandi donum, alias plures probi animi splendidique ingenii dotes causas fuisse cur floruisset Res Publica, cur tandem esset facta orbis terrarum domina, hoc nemo nesciebat Romanus.

Quod igitur dixit Seligerus: „mit der Tapferkeit greift der Dichter auf einen der hervorstehendsten Zügen im Wesen der Römer zurück" id nullo modo dirimit quaestionem. Qui nimium demonstrat nihil demonstrat. Atque, ut ait Seneca [2]), vitiosum est ubique quod nimium est.

Sed videamus quid afferat nobis alius assecla huius doctrinae Iurenka. In fine suae enarrationis conciliare inter se velle videtur varias sententias. Quamquam in ipsa argumentatione vix aut ne vix quidem a Mommseni disputatione recedit. Itaque „V. 17—20, inquit, schwebt dem Dichter die Romana virtus ausschlieszlich in der Species der bellica virtus vor Augen. Die worte „repulsae nescia sordidae" erinnern an das Deutsche Dichterwort: ‚Im Felde da ist der Mann noch etwas wert'. Non advertit vir doctus quam inepte ille versus hoc loco laudetur. Etenim cum eo versamur in circulo quem vocant vitioso. Nemini hercle in mentem veniat Germani illius dictum, nisi ei cui iam sit persuasum ‚*virtute*' significari *Fortitudinem*, eamque *solam*. — „Der Dichter denkt daran, dasz die virtus des Kriegshelden durch sich allein erstrahlt, dasz sie allein es ist, die ungeschmälerte Anerkennung findet, dasz die Volksgunst dem Schlachtenhelden stets willig den Lorbeer um die Stirne flicht. — In his si quis argumenta inveniat equidem perquam mirabor! Praeterea quis non videt plus falsi inesse in iis quam veri? Ut hoc tantum rogem: Fueruntne intaminati honores omnium illorum virorum bello quidem fortissimorum

---

1) De Re Publ. I. XXXIV, 52.

2) De Tranq. An. c. 9.

quorum Horatius anno u. c. 726 imprimis erat memor? Sed pergit: „Nur wenig merklich, besonders dadurch, dasz die Worte mehr allgemeine Fassung haben — quod invitus concedit, sed coactus! — ist dem weiteren Begriff der virtus, ihrem philosophischcn Umfange im Sinne der Stoa Rechnung getragen. Etwas mehr geschieht dies V. 21—24

»Virtus, recludens immeritis mori
Caelum, negata temptat iter via,
Coetusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna."

doch so, das der Dichter bei der Erwähnung der Unsterblichkeit noch immer an den Ruhm des gefallenen Kriegers in erster Linie denkt." Callide sane ‚udam humum', si recte intellego interpretatur. Significari vocabulis illis enim *locum* illum vult, in quo cecidit miles pro patria pugnans, seu, ubi corpus eius iacet. Simul igitur contendit vitam immortalem a poeta significari per illud „spernit humum fugiente penna". In quibus omnino cum eo velim facere. Attamen minus recte congruit illud cum aliis eiusdem strophae versibus. Quare militem illum mortuum spernere dicendum est coetus volgares?

Iterum ergo atque iterum argumenta desideramus.

„At tu audacter satis" ita audio lectorem forte mihi improbantem, tu audacter requiris undique ut demonstrentur quae luce clariora ipsi illi viri cantasse Horatium perhibent. Cui meo iure ut credo oppono imprimis perquam mirum esse, per tot saecula viros doctos „evidentem" illam significationem capere non potuisse. Plures editiones praesto nobis sunt, quae Peerlkampii coniecturas non paucis praecesserunt generationibus. Eligam notum illum Dacierum qui Sanadonem secutus: „Voici la seconde partie de l'ode. Horace, après avoir parlé de la vaillance dans la première, parle ici de la vertu politique ou morale, qui

est toujours indépendente des caprices du peuple, et qui malgré lui se soutient toujours dans les places les plus éminentes." Et addit vir ille eruditissimus: „On reconnait ici le dogme des Stoïciens, nunquam privatum esse sapientem „que le sage n'est jamais homme privé." Premet me autem adversarius meus dicens: Sed tu concedis sub nomine virtutis omnino comprehendi Fortitudinem? Et ego: Sane, quid inde? Tum ille: Atqui in versibus praecedentibus haud obscure celebratur *Fortitudo:* Ergo est in promptu explicatio a Mommseno aliisque prolata. Atque non illorum est demonstrare, tuum vero refutare.

Cui respondeo imprimis verissimis his Karsteni verbis: „Sicubi hi versus per se legerentur nullis aliis praeeuntibus aut sequentibus, nemo punctum temporis affirmare dubitaret, contineri laudationem rarae et egregiae praestantiae, a vulgari coetu prorsus semotae, optimis mortalium per viam arduam coelum aperientis" [1]). Deinde, etsi non leguntur per se sed post alios supra pro viribus a nobis illustratos, multiplicem difficultatem afferent nisi interpretentur ut dicemus.

Illud sine dubio gravissimum est quod nullam habuit rationem doctissimus Mommsenus ipsius Horatii consilii ac propositi, neque eorum ad quos commonendos cecinit poeta. Id vero si non omittimus, variis illis contortulis viis non opus erit unquam, ut ad veram sententiam penetremus.

In neutra stropha sermo est de *milite gregario;* si autem fingis eum significari in prima, in altera ad absurdum aliquid duceris. Quod Mommsenus intellexisse videtur! Etenim ne unum quidem verbum annotavit de altera hac stropha. Lepidissime itaque Karstenius: „secundum illos, milites sunt et *centuriones* qui ‚spernant humum fugiente penna',

---

1) Cf. l.l. pag. 134.

qui temptarat iter in coelum via negata." Atque revera finge tibi, — nolique ridere — rudes illos legionarios, utpote „immeritos mori" „coelum temptare". Talia non solet dicere poeta, nisi forte iocose. — Sat ieiune addit hoc loco Niemeyerus milites Romanos ea aetate minime quidem sprevisse *udam humum*, cum per Germaniae Veteris paludes iis esset incedendum! idque via certo non negata! At sit modus in rebus, sint certi denique fines — etiam in disputando.

b. *De iis qui Principis virtutem cantari perhibent.*

Altera classis est eorum qui virtutem illam de qua agitur duabus his strophis Augusto Principi proprie attribui contendunt. Quorum primus nominandus est doctissimus A. Domaszewskius [1]) qui uti videbimus odas totas versare perhibet in laude Augusti. Augustus animo eius obversatur tanquam omnibus Romanorum virtutibus ornatus [2]), quarum virtutum singulae in singulis laudantur odis his Horatianis, miram enim videt similitudinem inter horum carminum argumenta atque ea quibus laudatur Augustus

---

1) Rhein. Museum N. F. 303 29. 9. Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte.

2) l.l. pag. 302: »In dem Odencyclus, der das dritte Buch eröffnet, klingt als Grundmotiv zwisschen dem Preise altrömischer Tugend und dem Tadel verderbter Sitten das Lob des Augustus bald lauter, bald leiser, immer wieder an. Die Beziehung auf den Princeps giebt den einzelnen Liedern Einheit; diese Beziehung schafft auch die Einheit des ganzen Cyclus. Augustus erscheint als der *Träger* der nationalen Tugenden, durch die er einst zur Unsterblichkeit eingehen soll. Die auf- und abwogenden Bilder des Festgesanges sind umschlossen und wie in einen Rahmen eingefügt durch die Paraenesen des 1en und 6en Gedichtes. In feierlichem Tone mahnt der Sacerdos Musarum das heranwachsende Geschlecht, Knaben und Mädchen, die Laster zu fliehen und nach *dem Vorbild* des Herrschers den Tugenden sich zu weihen."

laudatve seipsum [1]) in monumento Ancyrano. Ubi [2]) narrat princeps inter honores sibi concessos:

Clupeus aureus in Curia Iulia positus, quem mihi senatum populumque Romanum dare virtutis, clementiae, iustitiae, pietatis causa testatum est per eius clupei inscriptionem." Quae Graece sic leguntur:

ὅπ[λ]ον τε χρυσοῦν ἐν τῷ βουλε[υ]τηρίῳ ἀνατεθ[έ]ν ὑπό τε τῆς συγκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥω[μα]ίων διὰ τῆς ἐπιγραφῆς ἀρετὴν καὶ ἐπείκειαν κα[ὶ δ]ικαιοσύνην καὶ εὐσέβειαν ἐμοὶ μαρτυρεῖ.

Unde doctissimus vir colligere conatur Horatium non composuisse odas Romanas nisi ut laudaret eas ipsas virtutes, hic enumeratas, in memoriam igitur clupei illius aurei. Quae doctrina confirmatur — non male ut mihi videtur — eo quod in versibus quae sequuntur, sermo est de illa sordida repulsa quam mox attingemus. Iamvero Domaszewskius: Augustus, inquit, nullo modo novit neque cognoscere potuit sordidam repulsam, quia opus ei non fuit aura populari. Ipse sibi consularem obtulit potestatem, pergitque offerre.

Et si quis obiciat poetam ne semel quidem enuntiasse

---

1) Hac de quaestione cf. Mnem. XXVI pag. 237 sqq. — De Monumento Ancyrano Sententiae Controversae (Pars altera). Ibi d. v. Beckius argumenta protulit haud spernenda ad demonstrandas cum alias tum hanc sententiam: »totus hic titulus neque Romae fuit neque ab Augusto conscriptus esse videtur" — ib. pag. 247.

2) Cf. Mon. Anc. 6, 13—23. Locus integer sic legitur: *In consulatu meo sexto et septimo, b[ella ubi civil]ia exstinxeram per consensum universorum [potitus rerum omnium, rem publicam ex mea potestate in senat[us populique Romani a[rbitrium transtuli. Quo pro merito meo senatu]s consulto Augustus appe]llatus sum et laureis postes aedium mearum v[estiti publice coronaq]ue civica super ianuam meam fixa est [clupeusque aureu]s in [C]uria Iulia positus, quem mihi senatum [populumque Romanu]m dare virtutis cleme[ntia]e iustitia[e pietatis causa testatum] est pe[r e]ius clupei [inscription]em.*

nomen Principis hoc loco, nec in altera stropha, ubi agitur de immortalitate, respondet vir doctus: Sane lepidissime omisit hoc Horatius „mit feinem Takte vermeidet H. den Namen desselben zu nennen, indem er als allgemeines Gesetz hinstellt, dasz der zur Herrschaft befähigte Mann die Herrschaft als eine Pflicht ausübt, der der höchste Lohn wird" [1]).

Quae quamquam acute inventa sunt, mihi non satisfaciunt. Imprimis enim reiciendam puto omnem sententiam quae odis his turpem inurit notam: „Höfische Gedichte". Cuius rei infra reddam rationem.

Deinde oda prima nequit tali proposito accomodari, nec tamen dici potest non ad cyclum pertinere. Sed de hac quoque re dicendum erit infra. Denique vero, — quod nunc potius quaeritur — quare, quare tandem aliquando semper redeundum ad Augustum est? ‚Angustam amice pauperiem pati' et ea quae sequuntur, ut luculenter ostendimus supra, non intelleguntur nisi spectare iuventutem versus illos nobis persuasum est. Numquid opponi debet Princeps, „imbelli iuventae poplitibus timidoque tergo?" Sanae mentis compos interpres nullus talia dicet. Sed ecce subito introducitur Augustus, idque splendido quidem apparatu, — velata tamen facie. At enim: *aut* voluit Principem celebrare: quod apertis verbis certo fecisset, (ut in oda tertia fecit) *aut* instituere pueros quod utique magis videtur esse probabile.

Si autem pueros vult docere, quidni id eis proponit quod eorum umusquisque dummodo velit, parare sibi poterit? Atqui vix inter eos fuerit unus vel alter qui tam magna foveret consilia, ut Octavianum imitari in mente haberet. Virtus autem ab omnibus et singulis parari potest.

---

1) l.l. pag. 304.

Praeter Domaszewskium [1]), cui assentitur prorsus d. v. Hiemerus, nomino R. Biesium, qui alteram odam cum tertia coniungendam esse ducit, ut facile possit explicari. Ipsa virtute inquit, Augustus ascendit Olympum „ut vagus Hercules". Quae virtus „ist nicht die Mannestugend schlechtweg sondern die besondere des Caesar Augustus. Diese ist unabhängig von der Gunst des Pöbels, erstrahlt im Ruhmesglanz, den er bei Actium sich erwarb". Post ea quae dicta iam sunt separatam refutationem haec non requirunt.

c. *De iis qui virtutem universam intellegi credunt.*

Dicendum demum est paucis de tertio genere, eorum quorum nonnullos passim iam audivimus. Licet inter se de singulis ferme differant opinione, in eo conveniunt omnes, quod voci ‚virtus' latiorem et ampliorem attribuunt significationem quam scriptores modo laudati. Is qui extremam commentationem, a nobis tractandam scripsit, Petrus

---

1) Longius fortasse dicendum erat de altero huius sententiae defensore d. v. Hiemero. Die Römeroden des Horaz, Progr. des Kön. Gymn. in Ellwangen 1904—1905. Is anno quidem post Domaszewskium ignorans vero huius v. d. commentarium eadem fere protulit. Eadem igitur mihi respondenda essent quare hic brevitatis causa omisi, infra plura dicturus de d. v. miris admodum inventis. Quam audacter ipse procedat in ponenda sua sententia ex paucis hisce intellegatur: »Statt einer einzigen die Gruppierung beherrschenden Totalidee liegen also nicht weniger als sechs vor, die sich zur Auswahl anbieten. Das ist eine schlimme Sachlage für die Einheitstheorie..... Das Ergebnis dieser Prüfung von Soll und Haben kann nur lauten, dass die Einheit, *die das Ganze umspannt* nicht eine begriffliche ist. Wenn also eine Einheit vorliegt, so musz sie äusserlicher Art sein..... Glücklicherweise lässt sich die Gelegenheit, die diese Aufgabe stellte, *nicht nur ganz genau angeben, sondern mann kann auch aufs bestimmteste nachweisen,* (!) dass die Römeroden eben diesen konkreten Zweck erfüllten. Quisquis perpenderit eius argumenta.... mirabitur.

Corssenus lucide enuntiat suam sententiam [1]: „Wo von der Virtus schlechthin wie in diesen Versen gesprochen wird, da ist est nicht möglich nur an die Tugend im eingeschränkten Sinne der kriegerischen Tapferkeit zu denken, und selbst da wo im Zusammenhang das Wort so gebraucht wird, ist es doch nur als die besondere Anwendung einer weit umfassender Eigenschaft gedacht." „Denn virtus ist doch nach dem Sprachgebrauch nicht gleich *ἀνδρεία* sondern gleich *ἀρετή*, und es ist schon darum die jetzt von der Mehrzahl der Erklärer angenommene Interpretation der Strophe abzuweisen, dasz der tapfere Soldat sich um der Politik nicht kümmert. Die Unterscheiding des Politikers und Soldaten ist aber, auch aus sachlichen Gründen unmöglich, tatsächlich beruht sie auf einer falschen Uebertragung moderner Begriffe."

§ 5. Quibus laudibus Horatius laudaverit virtutem.

Iam ut cetera mittamus restat ut notemus pauca de ipsis laudibus quibus Horatius virtutem hic ornavit. Ac primum

repulsae nescia sordidae.

Scriptores quos in primo et altero genere nominavimus qua ratione haec interpretentur dubium esse non potest. Primi enim dicunt cum Mommsemo: miles degens in campo prorsus ignorat ambitum, fortitudine sola ad summos pervenit honores. Atque haec explicatio sat simplex videtur. Qui sunt secundi generis pro sua doctrina iure optimo dicunt Augustum virtute sua dignum fuisse qui ambitu nullo indigeret. Ii denique qui neque faciunt cum Mommseno neque cum Domaszewskio etiam inter se dissentiunt. Ne

---

1) Cf. Neue Jahrbücher f. d. kl. Alt. 1907 pag. 592.

longus sim in hac re, de qua iam fusius disputavimus, brevissime omnia complectar. Nonnulli enim hic Catonis memores, opinionem proferunt veri non nimis dissimilem; poetam ante oculos habuisse exemplum Catonis, — qui repulsam quidem novit, ea tamen nullo modo honore est privatus, quia talem, populi contemptum sive etiam favorem infra se prorsus habebat [1]). Hanc opinionem antea multi defenderunt [2]), nec ego eam infitior, dummodo ne vis argumenti nimis prematur. Etenim si eo usque sententiam hanc urgemus, ut poetam virtutes cuiusdam viri cantare voluisse credamus, eo ipso, quod memor fuit illius viri, cum virtutem in universum cantaret, negare equidem velim id recte fieri. Ex permultis omnino aliorum scriptorum locis, quos interpretes solent afferre sine dubio probabile deducitur argumentum, Catonem hic spectasse poetam neque temere credidisse, virgines puerosque, eius quoque memores esse futuros, cum audirent hos versus [3]). Unde vero non efficitur Horatium in animo habuisse ut de industria, ut data opera Catonem celebraret. Aliud enim est honorare *aliquem*, landando eius virtutes, aliud laudare *virtutem* nominando vel commemorando aliquem qui ipsa virtute excelluit.

Quamquam si carmen ipsum spectamus utraque res eodem fere redit, inquirendum nobis est (quantum saltem fieri potest) quid voluerit poeta.

---

1) Uti est apud Plinium N. H. praef. § 9: »Cato erat ambitus hostis et repulsis tanquam honoribus inemptis gaudebat. Sive ut monet Seneca Dial. XII. 13, 5: »Quis usque eo ad conspiciendam veritatem excaecatus est, ut ignominiam putet M. Catonis fuisse duplicem in petitione praeturae et consulatus repulsam? Ignominia illa praeturae et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur."

2) Inter recentiores Corssenus praesertim.

3) Eadem fere ratione doctissimus Pluessius — Horazstudien pag. 207 — Augusti memorem fuisse poetam existimat.

Accedit quod ad Catonem quidem pertinere potest stropha *quinta*, — *sexta* vero quare tantum Catoni?

»Virtus recludens immeritis mori
Coelum negata temptat iter via
Coetusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna."

Nonne in aperto est, aliquid intellectum tantum, potius quam determinatum quendam virum significasse Horatium? [1])

Itaque idem dicendum mihi videtur de stropha praecedente. Laudat igitur virtutem qualem antea descripsimus, virtutem viri vere Romani propriam, quae, quamvis honores, i. e. magistratus minime recuset, utpote quibus Rei Publicae servire egregie possit — etiam sub principatu — tamen in iis non unicam, non propriam suam quaerit gloriam. Quae porro, etiamsi a populo non agnoscitur nihilominus intaminatis splendebit semper honoribus, ac — nam similitudine hic utitur poeta — quemadmodum consul lictoribus praeeuntibus omnibus civibus in altissimo dignitatis gradu collocatus apparet, ita vera virtus semper ac non tantum per unum annum

»Consulque non unius anni"

viris egregiis notam nobilitatis quasi infigit, ut saltem optimo cuique prae ceteris excellere videatur, semper et ubique.

»nec sumit aut ponit secures
arbitrio popularis aurae."

Sentimus Horatium in his versibus et in stropha quae sequitur grandiore paulum genere dicendi esse usum, ideoque ipsius rationem dicendi, singulaque verba non minus diligenter esse investiganda. Si unquam, *hic* est animadvertendum eius consilium non fuisse, ut philologis doctissimis materiem

---

1) Illud »fugiente penna" simul ac tribueretur alicui homini quisquis est, aliquid habet quod risum movet.

praeberet disputandi. Cuius rei non meminisse mihi videtur Fr. Kreppelius, qui plurimas de hac re movit quaestiones, quas longum est enucleare neque tamen operae pretium[1]).

Notatu autem dignum est quod monet vir d. de sexta stropha. „Diese Tüchtigkeit — quae secundum scriptoris opinionem in fugiendis honoribus consistit[2]) — wird ihren Lohn haben, den Lohn der Unsterblichkeit. Wir erinnern uns hiebei, dasz uns bereits in der ersten Ode ausdrücklich versichert is auch wer

, generosior
Descendit in Campum petitor

könne der ‚Urna capax' des Todes nicht entrinnen. Hier nun haben wir das Gegenstück". Quis non videt Kreppelium nostrum penitus sententiam pervertisse? Contenditne unquam Horatius hominem virtute ornatum non esse moriturum ea ratione, ut „leti necessitate" esset exemptus? Nemo sane id dicet[3]). Addit vero, quasi ipse perspexisset suum

---

1) Vide l.l. pag. 42—48.

2) Cf. l.l. pag. 48.

3) In margine manuscripti, quod olim misi ad Facultatem Litterarum Amstelodamensem, iudicis cuiusdam manu èt alia èt hoc notatum inveni: »De vraag diende hier of elders onder de oogen gezien, wát Horatius dacht van die Leti necessitas, hoever zij de aeternitas van ode 2 uitsluit".

Cui ut pro viribus satisfaciam haec in medium velim proferre: Horatius nemini unquam mortalium eo sensu aeternitatem tribuit, ut moriendi necessitate exemptus vèl vivere pergeret in terra vèl continuo vivus in caelum tolleretur. Ubi igitur loquitur poeta de ‚immeritis mori' non vult nisi unum vel alterum: vèl id quod supra indicavi: *meruisse* quidem homines illos aeternitatem nec tamen eius fore participes: (*οὐ γὰρ πέπρωται*) vèl dignos eos aestumat qui *post mortem* aeterna vita fruantur in caelo.

Eum vero nullam prorsus exceptionem agnovisse luce clarius apparet ex hisce locis: — Carm. I, 28: »*Omnes* una manet nox et calcanda semel via leti.... *nullum* saeva caput Proserpina fugit".

— Carm. II, 3: »*Omnes* eodem cogimur, omnium versatur urna

παράδοξον. „Wer auf richtige Weise draussen im Getümmel der Schlacht seine Virtus erweist, dem inneren Leben des Staats gegenüber aber die vornehme Zurückhaltung bewahrt, die dort heut zu Tage nötig ist, der entgeht *wenn auch nicht dem Tod*, *so doch seinem Schrecken*." Haec autem qua ratione pugnent cum iis quae in oda prima sunt dicta ego non perspicio. Hic enim, super „impia" tantum cervice gladius destrictus pendet, ab aliis vero licet aequa lege morti sint subiecti, mortis terrores abesse dicuntur [1]). Nihilominus perhibet Kreppelius: „Es fällt schwer zu glauben, dasz diese wirkungsvolle Gegenüberstellung nicht beabsichtigt sein sollte." Ipse scriptor sibi non constat; est enim in ipsius commentatione [2]): „Es werden diejenigen, denen „destrictus ensis super *impia* cervice pendet" von den frommen gesondert. Auch diesen droht das gezuckte Schwert, aber es kann ihnen Ruhe und Seelenfrieden nicht rauben."

At restat ut exponam quamnam intellexerit Horatius immortalitatem, quid sibi velit, „uda illa humus". Varias iam attigimus opiniones. Luculenter ostendit Corrsenus poetam sicut in reliquis odis Romanis hoc loco Stoicam tradere doctrinam. Plures attulit èt Ciceronis èt aliorum dicta, quibus

---

serius ocius sors exitura et nos in aeternum exilium impositura cumbae".

— Carm. II, 14: »Scilicet omnibus, quicumque terrae munere vescimur, enaviganda (unda Plutonis), sive *reges* sive *inopes* erimus coloni".

— Carm. I, 4: »Pallida mors aequo pulsat pede *pauperum* tabernas *regumque* turres".

— Epist. II, 2,178 sq. »Metit Orcus *grandia* cum *parvis*, non exorabilis auro".

— Et ne credas eum virtutem solam immunem esse docuisse: Carm. II, 14: »nec *pietas* moram rugis et instanti senectae adferet *indomitaeque morti*".

1) Cf. hac de re Wageningenium. Mnem. XXXIII, pag. 318 »De Damoclis gladio".

2) Cf. l.l. pag. 28.

demonstrat inter Stoicos alios animi immortalitatem docuisse, alios negasse, alios sapientes solos immortales esse credidisse [1]). Locus qui dirimere quaestionem mihi videtur est apud Tullium — Tusc. Disp. I. 12 — ubi postquam antiquitatis laudavit auctoritatem quia „quo propius aberat ab ortu et divina progenie hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat" docuisse eum narrat: „mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in caelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permanerent tamen." Eadem significasse Horatium idque apertissime prorsus dicendum est. Vir immeritus mori, i.e. qui virtute sua mortem effugere meruisset nisi necessitas omne moveret urna nomen, tamen mortis oblivionem nunquam patietur, in caelum vero receptus divinis fruetur honoribus, ceteri vero, qui virtutem colere noluerunt: coetus volgares, prope humum relinquentur. Etenim ne ulla nobis dubitatio remaneat sic pergit Tullius: „Ex hoc et nostrorum opinione:

Romulus in coelo cum dis agit aevum,"

ut famae assentiens, dixit Ennius: et apud Graecos, indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum, Hercules tantus et tam praesens habetur deus; hinc Liber Semele natus, eademque famae celebritate Tyndaridae frates" etc. Adverte eadem nomina ab Horatio laudari in oda sequenti ubi cantavit:

»Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enixus arces attigit igneas
Huc te merentem Bacche pater tuae
Vexere tigres — hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit."

---

1) Ut habet Diogenes Laërtius in Libri VII capite primo 84 — *Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐπυρώσεως, Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνον.*

et rogare velim possitne quis iure negare inesse in stropha sententiam supra a nobis expositam, debeatne quis quaerere abstrusam admodum significationem qualem excogitaverunt Mommsenus et alii? Denique si quis forte mihi obiciat, Horatium talia non *credidisse*, id neque concedo neque refuto, tuto quia potest in medio relinqui.

§ 6. De Carm. II strophis 7—8.

Inspiciamus tandem aliquando ultimam carminis partem' Negari vix potest stropha sexta absoluta, Carmini aptissime finem potuisse imponere poetam. Etenim ad summum quasi culmen ‚virtutem' perduxerat. At res postulat ut exponamus quae nobis sunt tradita, non ut ea immutemus. Atque nobis ea quae sequuntur non tam inepte videntur addita quam multis commentatoribus sunt visa. Nam quod ad ipsam carminis formam, non raro eodem modo egerunt aguntque poetae. — Segniter, languide ferme finiunt carmen vitae ardorisque plenum. Deinde quod attinet ad interpretationem, iam saepius indicavimus, et denuo demonstrabimus unum inveniri argumentum in toto poemate, sibique data opera constare poetam a capite carminis ad calcem. Primum autem examinandae sunt nonnullorum virorum doctorum a mea diversae opiniones, antequam meam pro viribus demonstrem.

a. *Sententiarum cognitio.*

Primus ut fieri solet honoris causa laudandus est Mommsenus qui de extrema poematis parte haec censuit [1]. „Unvermittelt, nicht eben poëtisch wohl angeknüpft und mit kurzem Wort wird der Preis eines zweiten Standes angeschlossen dessen Ehre der Fleisz und der Gehorsam ist: es sind die neuen kaiserlichen Verwaltungsbeambten,

1) Cf. l.l. pag. 37.

denen gleich den Soldaten, die eigentliche politische Laufbahn, der Reichsdienst verschlossen ist, die aber im Dienst des Kaisers, vor allem bei der Steuerhebung, aber auch sonst in administrativen Geschäften jeder Art mannigfach verwendet werden." Quo tandem obsecro, artificio haec omnia eruuntur ex duabus hisce strophis, ubi nil reperimus nisi deos et poenam et mercedem?

»Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum

Solvat phaselon; saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo." —

Pythiane olim Delphis tam densis unquam tenebris sententiam suam abscondidit? Horatius si laudare voluisset, quae promulgavit Mommsenus eam utique superasset! Quam obscuritatem excusare vult vir doctissimus, obiciens nobis rei cantandae difficultatem. — „Dem Dichter sind sie nicht bequem gewesen; Ambtführung und Gewissenhaftigkeit zu besingen ist schwierig. Aber man fühlt est ihm nach, wenn er der schweigsamen Treue ihr Lob zollt, und von dem Fluche spricht, welcher an Unredlichkeit und Vertrauensbruch sich heftet." „Raro antecedentem scelestum, deseruit pede Poena claudo."

Sat libera sane est ultima versio! —

Diligentissime, pluribusque allatis scriptorum exemplis Karstenius hunc locum pertractavit. Ostendit Augustum non eum fuisse, qui „nuperrime rerum potitus, statim voluerit aut potuerit a quibuscumque magistratibus, ministris, senatoribus tacitam observantiam flagitare". Quippe qui aliter prorsus initio sui regni praesertim se gessit, ut

testantur historici multi [1]). Quare, (et non ob illam causam tantum) Mommseni explicationem reiciendam esse ducit; etenim rectissime ut mihi videtur in dubium vocat, utrum poeta, musarum Sacerdos, paucissimos illos, qui tunc demum institui coeperunt procuratores fisci, his versibus atque hac praecipue oda commonere voluerit.

Attamen non desunt interpretes qui tantum non penitus cum viro praeclaro faciunt. Inter quos primum locum obtinere dicendum est Kreppelium. Ille enim nuper odam commentatus — 1903 — varias opiniones interdum prolatas perpendere potuit et investigare; atque argumenta inducit quae diligenter consideranda sunt. Ipse tamen aliud quid addidit quod prorsus novum „völlig neu" esse ducit, et quo ni fallor Karsteni reprehensionem supra allatam, effugere sibi visus est. „Wenige mehr sind eingeweiht in die Geschäftsführung; diese wenigen aber und alle die jenigen, die vielleicht in einzelnen Fällen Kunde von Staats-

---

1) Vide i. a. Cassii Dionis testimonia quae contulit Karstenius l.l. pag. 142. — 56. 43. — 55, 7. Porro Suetonii — Vita d. Aug. c. 54. Contra: ibidem c. 66 et — Plutarchus in Apophthegmate 7° Augusti, Quorum locorum vis omnis tollitur a Karstenio l.l. pag. 144—145. Eleganter Augusti animum nuper depinxit E. R. Garnseius (A Student's Edition of the Odes of Horace I—III 1910): »The parts played by Augustus, Maecenas and Agrippa in Empire-building may be compared and contrasted with the subsequent achievements under different conditions of Wilhelm I of Germany and his coadjutors, Bismarck and Von Moltke. Of the three Maecenas was the statesman, the man who shapes his policy, through the feasible rather than the ideal..... The thing to do was to get the power that could be salutary and efficient into operation as soon as possible. To this end all Maecenas' energies were strained. To this end also *not only had the people to be »educated" by literature but the Imperator himself* *). In the sense in which John Wilkes said that he was never a Wilkesite, Augustus shows that he was never an Imperialist..... cf. Introduction pag. 20.

---

*) Litteris inclinatis imprimenda haec ego curavi.

angelegenheiten erhalten haben — also nicht nur die Beambten — sind verpflichtet Stillschweigen zu bewahren, wie wenn es sich um ein heiliges Geheimnis handelte. Ferner aber wird| durch den Preis des „fidele silentium" auch gefordert, dass diejenigen die nicht in die Pläne des Princeps eingeweiht sind, sich böswilliger und lärmender Kritik enthalten, ja letzteres ist vielleicht für den Dichter die Hauptsache" [1]). Acute haec sine dubio sunt inventa, Antequam autem de his disputemus aequum est argumenta quoque audire, quibus doctrinam suam comprobare conatus sit.

Ita pergit: „Ich habe es abgelehnt, die Mysterien als um ihrer selbst willen vom Dichter genannt zu betrachten: der Grund hiefür ist durchaus nicht blosz der, dass dies nicht in die Einheit passen würde, die ich etwa um jeden Preis herstellen wollte. Vielmehr ist schon dadurch dass Jupiter und nicht Ceres den Frevel straft, sowie dadurch, dasz v. 30 und 31 die ganz allgemeinen Ausdrücke incestus, integer, scelestus gewählt sind, deutlich bewiesen, dass das Cereris sacrum arcanae nicht wörtlich zu verstehen ist. — Hic notare velim, scriptorem hucusque nil demonstrasse, seu potius nil illis verbis demonstrare potuisse, nisi hoc: non agere Horatium de ipsis Cereris mysteriis. Ideo premendum hoc censeo, quod primo adspectu quempiam facile devincant argumenta illa callide prolata; minime vero ea quae debebant confirmant. Restat ut probetur nobis audax affirmatio de fisci procuratoribus, item cetera. Attamen ut simus aequi ulterius progredientem audire eum par est. „Dazu kommt, dass der Dichter nicht etwa demjenigen, der sich von jeder Profanierung der Mysterien hütet einen Lohn verheiszt, sondern ganz allgemein dem fidele silentium, dessen Einschränkung auf

---

1) Cf. l.l. pag. 54.

das öffentliche Leben sich allerdings aus dem vorhergehenden ergibt. Erst nach dieser Verheissung wird überhaupt von den Mysterien geredet. Dass Horaz die Staatsangelegenheiten hier unter dem Bild religiöser Geheimlehre darstellt, geschieht nicht nur um der Feierlichkeit und Eindringlichkeit willen sondern dass er sich als Priester der Musen eingeführt hat in der 1sten Strophe der 1ste Ode." Recte —, atque haec sunt omnia.

Cur mihi non persuaserit argumentatio, quam paucissimis dicam. Firmum aliquid ac valde firmum exspectabam, et adhuc desidero, ut significatio quaedam ex ipsis poetae verbis nullo modo elucens inesse tamen demonstretur. Frustra vero tale quid quaesivi in iis quae transscripsi. Immo in memoriam iterum revocat vir doctissimus Horatium sacerdotis agere voluisse partes, at non addidit sacra eum egisse coram virginibus puerisque. Prudenter vero haec omisit, quae sententiam suam magis debilitarent quam confirmarent. Nam profecto explicatione admissa, quam de primis illis huius carminis strophis protulimus: inflammare poetam iuventutem ardore quodam sacro impellente ad res magnas [1]), — quis est qui credat eosdem pueros intellexisse ieiuna admodum monita de ista „Steuerhebung"; — vel si facis cum Kreppelio: de non improbandis Principatus institutionibus. — Si quis insulsissime pannos pannis assuisse Horatium velit, talia utique facile credet. Porro quod voces adhibuit *incestus*, *integer*, *scelestus*, poenasque praedixit *Iovis* non deae Cereris sororis, id demonstret — per me licet — non mysteria significasse poetam, a vero tamen aberrare videtur mihi ille, qui versibus mythologiae ac religionis plenis pauperculos commoneri vult procuratores vel in re publica curiosos!

---

1) Cf. supra pag. 24—25.

Iam alia explicatio investiganda est. Suam lepidissime protulit doctissimus vir Iurenka [1]). Ipse prorsus ignorare se fingit varias sententias antea acriter iam defensas aut impugnatas, atque nil dubitans: „Mit klarem Ausdruck, erweitert erscheint die Bedeutungssphäre der römischen virtus erst mit v. 25 ff. Verschwiegenheit ist eine hervorragende Tugend eines vir in römischem Sinne. Horaz hat das fidele silentium sat. I. 4—84 ‚commissa tacere qui nequit' *anders* verstanden wissen wollen als hier." Sane, quid hoc sibi velit, roget iure quispiam. Melius fortasse fecisset si attulisset locum ubi *idem* silentium intellegeret poeta [2]), „aber es ist ihm ohne weiters das Recht zuzusprechen, hier, wo er als sacerdos Musarum spricht, statt ins Alltagsleben hinabzusteigen, ins theologisch-mythologische Gebiet (nimis fortasse grandiloqua) abzuschweifen. Libenter extrema haec concedam, dummodo concedat doctissimus scriptor, se maximam difficultatem non solvisse sed prudenter praeteriisse. Etenim si laudatur viri Romani eximia facultas „die Verschwiegenheit" quomodo quaeso explanat interpres hic poenas illas sollemniter admodum enuntiatas? Intellegi quidem potest — quamquam a me non facile — hanc quoque virtutem quae nullo alio loco ab Horatio celebratur, hic fuisse laudandam: quare autem tantas minas iis minari debuerit, qui eadem non sunt ornati, quid eos ‚*scelestos*' ac ‚*incestos*' vocaverit, non exposuit Iurenka.

Sed quid censuit Corssenus? Cuius explicatio toto coelo differt ab iis quas adhuc vidimus. Artis vinculis conectit poetae verba cum versibus proxime praecedentibus de immortalitate. „Aber der Himmel ist doch der Lohn eben nur

---

1) Cf. l.l. pag. 295.

2) Uti sat. II, 6, 58, ubi seipsum a Quiritibus »unum egregii mortalem altique silentii" vocari non sine vanitate Horatius narrat.

für das allerhöchste Verdienst, namentlich für die groszen Staatsmänner und naturgemäsz können nur wenige ihn erringen. Daher wird zwar der Jugend die Virtus als das Ideal vorgestellt, dem sie nachstreben soll, aber doch den vielen, die im Dunkel bleiben, zum Trost gesagt dasz auch sie ihren Lohn finden, wenn sie Treue zu bewähren wissen. Denn auf dem adiectivum liegt auch hier der Nachdruck, *silentium* aber ist nicht wie unter Umständen die Taciturnitas, eine Tugend, sondern eben schlechthin *das Schweigen*, sei es im activen sei es im passiven Sinne, in dem letzteren Falle geradezu gleich Ruhmlosigkeit. So ist es hier zu verstehen, im Gegensatz zu der in den Himmel erhobenen Tugend, dem Ausdruck des allerhöchsten Ruhmes [1]). Quae si admittis, primum tibi obiciam, poetam luculentissime ‚silentio' opposuisse actum vulgandi. Iamvero silentium sensu supra exposito usurpatum nullo modo excludit vitium vulgandi quaeque quibuscumque. Exempla multa in promptu sunt! Temere igitur profertur talis explicatio, quam multi fortasse amplexi essent si versus hic solus staret. Ipsum Poema vero sicuti nunc se habet

»Est et fideli tuta silentio
merces: Vetabo cui Cereris sacrum
vulgaret . . . ."

contra Corrseni loquitur sententiam; sed deinde etiamsi interpres rationem aliquam excogitaverit, qua non male sententiae sese excipiant, integrum carmen absurdum denuo fiet. Quid enim?

Fuse vividoque colore ab initio depinxit Musarum sacerdos virtutis gloriam et virtutis mercedem. Propositum enim habebat, ut iuventutem ad virtutem colendam incitaret. Atqui in extremo carmine laudes canere atque mercedem

---

1) Cf. l.l. pag. 593—594.

incipit rei maxime dissimilis „im Gegensatz zu der in der Himmel erhobenen Tugend."

Iam poeta ni fallor vix assequetur suum consilium. Quid enim ineptius excogitare potuit quam in una eademque oda primum magnifice loqui de gloria quam sequimur, deinde mercedem promittere ei, qui quaeret illius rei contraria seu potius qui contrariis segniter manebit contentus. Nam non multo labore est opus, ut gloriam nobis *non* comparemus! — Ergo dicendum videtur Horatium non significasse voce silentio humilitatem atque obscuritatem.

Miror praeterea quod doctissimus scriptor, sicut olim interpretes solebant, effatum Simonideum:

ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας

ideo vertisse Horatium perhibet, quod Princeps Augustus Athenodorum alloquens usus eo esset, ut omnibus perno tum est [1]). Miror, inquam, nam undecim annis ante certissima argumentatione ostendit Karstenius, poetam iamdiu versus hos composuisse antequam Athenodorus senex decrepitus munere abdicandi se, consilium cepit. Prudentissime multi alii commentatores hanc explicationem hodie omittunt, nondum vero omnes. Ea igitur quae elegantissimus scriptor P. Corssenus hoc de loco docuit videntur esse reicienda.

Domaszewskius [2]) pro suo invento propriam tradere debuit expositionem. Ingenue fatetur difficultatem non deesse at nihilominus: „Wohl erkennt man, dass der Unterthan dem Träger der Virtus Fides schuldet, aber die eigenthümliche Fassung

»est et fideli tuta silentio
merces"

---

1) Cf. — Cassius Dio 56, 43 — Zonares 10, 38, ubi diserte res narratur.

2) Cf. l.l. pag. 305.

ist im Hinblick auf einen bestimmten Vorgang der Zeitgeschichte gewählt. Die Worte beziehen sich auf den Treubruch des Corn. Gallus. Auf sein tragisches Schicksal weist auch die mystische Feierlichkeit, mit welcher die Vergeltung eingeführt wird" [1]).

Haec dixit vir doctissimus. At potius rogandum est, ut opinor, quid sit cur cum eo faciamus, quam cur non ita. Nullam enim prorsus affert rationem. Nam Dionis locum laudans ubi habetur LIII. 23. 5. ‚*πολλὰ μὲν γὰρ καὶ μάταια ἐς τὸν Αὔγουστον ἀπελήρει*' confiteri cogitur de ipso Dione: „er zählt den Sturz des Gallus in seinem Todesjahr (26 v. Chr.); daraus ergiebt sich keineswegs, dasz er erst in diesem Jahre bei Augustus in Ungnade fiel." Per me licet, at non sufficit indicare nobis aliquid *fieri potuisse*, ut credamus id revera *esse factum*. Praeterea etiamsi antea iam Gallus Principis gratiam amiserat male tamen convenit poetam iam tum cecinisse: „sein tragisches Schicksal" tanquam ab Augusto ipsi inflictum. Pugnantia inter se insuper loquitur Domaszewskius cum Augusti eximias virtutes, inter quas *clementiam*, laudari doceat a poeta, simul autem Galli miserrimam sortem eidem Principi attribuat. Denique quod mihi gravissimum videtur, nulla omnino maneret poematis unitas. In prima enim parte agi vult vir doctus de pueris Romanis, in altera de ipso Augusto in tertia demum de Galli poena. Hoc nimium esse quis non videt?

Neque placere potest opinio eorum qui duas strophas ita intellegunt quasi de *fide* servanda loquatur tantum Horatius. Minorem enim locum sine dubio occupat vox illa ‚fidele', quam ut tantas agere partes illam recte putemus. Doctissimus vir Niemeyerus et alii id fecerunt. Longum est singulorum singula verba laudare. Ipse Karstenius doctrinae

---

1) Cf. l.l. pag. 305.

Varronis memor de ‚theologia civili' ac ‚poetica' seu ‚physica' [1]), novam docet opinionem. Solebant nonnulli inde ab Ennii temporibus deorum neglegentiam apud ipsum populum propagare. Quam imprudentiam improbabant multi viri egregii. „Puto igitur, inquit Karstenius, Horatium his strophis eos monuisse, qui docti vel indocti opiniones suas non removebant a foro, hoc est a populo, sed sermone vel scripto leviter efferebant in vulgus. Hi secundum H. non minus graviter peccabant, quam qui olim sacrum Cereris vulgabant et patriis moribus, quibus stabat res Romana, damnum inferebant quavis punitione dignum." Quae opinio suo merito minime caret. Attamen non ea est quae penitus mihi probetur. Conciliari quidem potest èt cum iis quae praecedunt, èt cum Horatii proposito, — nam eos imprimis spectat iuvenes, qui scholis interfuerunt aut intersunt. — Sed aliquid tamen habet haec explicatio contorti, quaesiti. Quare eam non sequor, non quod non placeat, sed quia minus placet.

Veri longe simillima, atque meae supra datae de reliquo carmine opinioni maxime consentanea, sunt ea quae docere videtur doctissimus vir Aemilius Rosenbergius [2]) consentiente ac magnopere laudante Carolo Loeschhornio [3]).

Ceteras enim expositiones iam omittam, ne lectori taedium moveam. Aiebam, „quae docere *videtur* Rosenbergius" etenim apertis quidem verbis non dixit quae sentio, clare tamen ni fallor significavit. Etenim post sat acrem Mommseni impugnationem sic pergit scriptor: „Das Gedicht ist ein *Gedicht*: das heiszt: des Dichters Seele ist erregt. Er wünscht seinem neuerstandenen Vaterlande Krieger und

---

1) Vide quae dicta sunt supra pag.

2) Progr. Königl. Gymnasium zu Hirschberg i. Schl. 1907.

3) Wochenschrift für klassische Philologie 1907, pag. 910.

Bürger, wie sie einst gewesen sein sollen. Er möchte der römischen virtus die sich mit pietas, einer religiöser Gesinnung der sich das Heilige noch einprägt und das Spotten ein Frevel ist, schon von selbst verknüpft, ein Lied singen. In Genügsamkeit, Tapferkeit und Frömmigkeit sah man stets die vera virtus Romana. Das hat der Dichter als Dichter gesprochen indem er etc. — hic enumerat varias imagines, variasque similitudines a poeta prolatas. — Wahrlich er wollte nicht, dasz wir ihm all zu genau auf das Wort sähen. Er hat durch die Szenerie, durch die Bilder, durch den Phaselos, durch die Allegorie, die Flucht aus der Wirklichkeit in die Welt der Dichter angetreten."

Bene autem talia sunt intellegenda. Dicat enim quispiam, viam iterum patere ad quamcumque stoliditatem, si versamur in horrendis illis ,licentiis poeticis'.

b. *Sententia scriptoris.*

Hoc igitur primum teneatur firmiter, ut verborum sensum quantum fieri possit, ad litteram explicemus. Post omnia quae dicta iam sunt, pauca sufficient. In toto carmine visus est nobis poeta ea ratione egisse, eo dicendi genere esse usus, quibus non viris adultis, sed pueris ardentibus, iisque litterarum Graecarum non ignaris, rectissime stimulum impingeret. Proposuit iis imagines, maxime idoneas quae eorum vim ingenii, ardorem animi concitarent; sic pergit facere in his strophis. Virtutis summam gloriam postquam cecinit, subiungendam esse duxit antiquam Romanorum pietatem erga deos. Atque quemadmodum vs. 7 ostendit iis matronam bellantis tyranni in muro stantem ac prospicientem, sic ad significandum deorum cultum fidelem, Eleusiniorum sacrorum silentium commendat.

Quae mysteria quia sanctissima olim fuerant populo Graeco et tunc Romae quoque egregiis nonnullis viris, pueris absque

ullo dubio maxime habebant „den Reiz des Geheimnissvollen und Unbekannten" [1]. Iam si ipsa spectamus verba

»Est et fideli tuta silentio merces"

imprimis oritur quaestio, cur *silentium*, cur *fidele*? *Fidele* quid significet docuit nos Cicero, loco a Karstenio laudato [2], attamen praeter verba ab interprete hoc allata, in eadem epistola dicit Tullius „cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae". Sumamus significationem propriam, collocemusque illud ‚fidele' in domicilio suo. Silentium autem cur hic nominetur, et quare necessario agnoscendus sit nexus inter hunc versum atque eos qui sequuntur

»vetabo qui Cereris sacrum volgarit arcanae"

clare apparebit si in memoriam revocaverimus, quasnam in sacris antiquis silentium egerit partes.

Duplex erat „quasi officium silentii" — primum tacendum erat durante ipso festo, i.e. abstinendum a colloquiis; deinde post sacra peracta, prohibitum erat ne vulgaretur quid esset factum [3] — atque hoc silentium non solum censebatur esse secundarii pretii aliquid, sed cum ipsis mysteriis arte cohaerebat. Gravissimae insuper poenae erant iis constitutae, qui violarent illam legem atque prorsus impii habebantur inter mortales. Quaenam autem erat ratio, cur palam de festis illis loqui non liceret? Utique non quod celandum esset quidquam: omnes enim vel initiati iam erant vel facile poterant initiari [4].

---

1) Cf. Strabo X 357, *ἡ κρύψις ἡ μυστικὴ σεμνοποιεῖ τὸ θεῖον.*

2) Ad Fam. 16, 17.

3) Cf. Lobeckium, Aglaophamus pag. 67.
Minime vero contradicunt his ea quae habet v. d. E. Rohdius Psyche I² pag. 288 sq.

4) Vide Herodotum VIII 65, 1 *ἐπείτε ἐκείρετο ἡ Ἀττικὴ χώρη ὑπὸ τοῦ πεζοῦ στρατοῦ τοῦ Ξέρξεω ἐοῦσα ἐρῆμος Ἀθηναίων τυχεῖν τότε*

Ratio igitur silentii alia inveniri nequit nisi quae est in impediendo ne quotidianis sermonibus immixta arcanum suum splendorem amitterent sacra, facileve ab impiis hominibus in ludibrium verterentur uti postea revera accidisse certum est [1]). Recta igitur Horatii interpretatio fert ut secundum illam quoque rationem verba eius intellegamus. Illi enim qui inter Romanos serio antiquum Cereris cultum continuabant, summo ea honore semper habebant [2]) ut

---

ἐὼν ἅμα Δημαρήτῳ τῷ Λακεδαιμονίῳ ἐν τῷ θριασίῳ πεδίῳ, ἰδέειν δὲ κονιορτὸν χωρέοντα ἀπ' Ἐλευσῖνος ὡς ἀνδρῶν μάλιστά κῃ τρισμυρίων ἀποθωμάζειν τέ σφεας τὸν κονιορτὸν ὅτεών κοτε εἴη ἀνθρώπων, καὶ πρόκατε φωνῆς ἀκούειν, καὶ οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν ἴακχον.

Tunc igitur temporis plus triginta millibus virorum initiatorum simul esse congregatos non erat absurdum. Addit praeterea Herodotus VIII 65, 4, *καὶ αὐτῶν τε ὁ βουλόμενος καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μυέεται.*" Etiam vide Erwin Rohde Psyche I² pag. 298: »Wir haben, trotz mancher hyperbolischen Angaben aus dem Altertum, keine Mittel zu beurtheilen, wie weit in Wahrheit sich die Theilname an den Eleusinischen Mysterien (in Eleusis selbst und späterhin auch in den zahlreichen Filialen von Eleusis) ausgebreitet haben mag. Immerhin ist es glaublich, dass grosse Schaaren von Athenern nicht allein, sondern von Griechen aller Stämme in den zu Eleusis verheissenen Gnadenstand zu treten sich beeiferten."

1) Vide apud Plutarchum-Alcib. 22 — et apud Lobeckium l.l. pag. 77.

2) Hoc ipsum in dubium vocare videtur doctissimus P. Stengel — Die griechischen Sacralaltertümer 1890 — pag. 120 ubi habet haec: Sie bestanden Jahrhunderte fort, aber während sie einst wirklich dem Bedürfnis kluger Männer genügt hatten, wurden sie zu äusserlichen Ceremonien, die trotz alles ihnen zeitweise wieder aufgetragenen äusseren Glanzes ohne Inhalt und Leben waren. Cicero, der selbst eingeweiht ist, scheint zwar noch mit Achtung und Bewunderung von ihnen zu sprechen, doch ist hinter den klingenden Phrasen wohl nicht viel mehr zu suchen." Facilius autem id asseruit vir doctus quam probavit. Ipsorum initiatorum numerum decrevisse concedendum, probitatem fortasse negandum est. Qua ratione ex Ciceronis verbis eluceat quod contendat vir doctissimus, equidem non video.

Tullius qui [1]) „multa inquit, eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus sed etiam cum spe meliore moriendi." Eosque porro Graeco semper ritu initiatos esse, Graecorumque igitur praecepta quoque esse secutos, perspicuum est ex eodem Ciceronis libro [2]) ubi leges suas proposuit de religione ac dixit inter alia multa: „neve (mulieres) initianto, nisi, ut assolet Cereri, Graeco sacro."

Rectissime igitur poeta *silentium* quod piis deorum cultoribus tanti aestimabatur per *μεταφοράν* posuit pro ipso *cultu deorum.*

c. *De poenis.*

Altera quaestio est de poenis quae sequuntur. Haec autem iam non praebebit difficultatem, quia si poeticum valde, Graecosque imitatum genus dicendi nimis ieiune non spectas, ad verba singula poteris interpretari strophas has neque ulla res mira tibi videbitur. Saepissime enim viri deos neglegentes iisdem fere nominibus nominantur apud antiquos scriptores, eaedemque poenae iis indicuntur [3]).

§ 7. Conclusio.

Summa igitur carminis est haec: Laudatur coram virginibus puerisque Romanis *Virtus Romana* cuius quasi partes praecipuae singulae cantantur a poeta. Hae partes sunt tres: continentia, fortitudo, deorumque cultus fidelis.

---

1) Cf. De Legibus XIV.

2) Cf. ib. cap. IX.

3) Vide e. g. locos a Kiesslingio-Heinzio laudatos: Eurip. El. 1354 — fr. 848 N. — Aesch. Sept. 602. — Cyropaed. VIII 1, 25, et alios permultos.

§ 8. ADDITUR HUIUS SENTENTIAE NOVA CONFIRMATIO.

Hoc unum velim addere. Impugnet quispiam hanc explicationem dicendo: Attamen in ceteris odis Romanis *alia* laudavit veri viri propria. Omnibus igitur simul cur unum carmen non constituitur? Agunt enim *singulae* de virtute.

Sed respondeo: Primum, tres illae quas laudavimus non solum sunt praecipuae, sed alias in se continent; deinde animadvertendum duco, quod quantum scio, nondum est animadversum: Horatium in altero tantum carmine virtutem spectasse a sensibus sevocatum, — ut ita dicam „*abstractam*", — cum contra in ceteris his odis, ipsum semper proponit *virum* vel *deum* qui virtutibus singulis sint ornati. En brevissimus carminum conspectus: ipsius poetae verbis servatis:

II. *pauperies*, / *pro patria mori*, / *virtus*, / *silentium*. / — Nil „concreti" quod vocant hic reperitur.

Contra:

I. *vir viro* latius etc. / somnus *agrestium*, / *vallis Sabina*. /
III. iustum et tenacem *virum*. / *Pollux et alii* / *Iuno*. /
IV. *me* fabulosae etc. / *vos Caesarem* altum etc. / una excipitur stropha: IV 65—69. Vis consili expers. / Sed statim sequitur: *Incontinentis Tityi iecur*. /
V. tonantem *Iovem* / *miles Crassi* / mens provida *Reguli*. /
VI. donec *Romane*, *templa refeceris* / *his iuventus orta parentibus*. /

Notatu illa sunt dignissima, quia argumentum praebere mihi videntur sat firmum ad demonstrandum id quod credimus: Horatium voluisse unitatem, voluisse cantare virtutem Romanam.

CAPUT III.

CARMEN III.

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
enisus, arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet ore nectar,

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes, hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis »Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit

In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon mihi
Castaeque damnatam Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit; protinus et graves
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire sedes, discere nectaris
Sucos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto

Insultet armentum et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis:

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus.

Aurum irrepertum et sic melius situm
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra,

Quicumque mundi terminus obstitit,
Hunc tanget armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.

Ter si resurgat murus aeneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

Non hoc iocosae conveniet lyrae.
Quo, Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

§ 1. De prima carminis parte. Sententiarum cognitio. Refelluntur singulae.

a. *Spectaveritne poeta laudes Augusti.*

Solet inscribi: ‚Ad Augustum'. Rectene id fiat an secus mox videbimus. Recte intellego non quasi ipse Horatius suam odam nomine Augusti principis inscripserit; sed investigandum est nobis spectaveritne poeta hoc loco laudem praecipue Principis necne.

Clarissimus Mommsenus — a Iove enim incipere iam docuit nos Horatius — primos huius carminis versus non primo loco posuit neque eos est interpretatus, nisi in media Iunonis oratione, (quod caput esse ducit totius odae); neque solum uti postea dicendum denuo erit ante omnia opinari videtur, Horatium vel magis fortasse contra Antonium et Cleopatram quam ad laudem Octaviani hos versus composuisse, sed primam poematis partem totam suam rationem nonnisi ex sequenti habere plane, ut opinor, significat. Omnino haec sunt praemittenda ut de priorum quattuor stropharum interpretatione Mommseni iudicare possimus. *Antonium* in animo habuisse existimat vir praeclarus, ut Troiam trans-

migraret ibique totius imperii sedem collocaret. At impedivit talia Octavianus.

Primam carminis partem sic vertit fere Mommsenus [1]: „Das wendete ab von Rom der gerechte und entschlossene Mann welcher mit festem Sinn, unbeirrt durch die Verkehrtheit irregeleiteter Bürger, ungeschreckt durch die Macht des Tyrannen, über die stürmischen Wogen des adriatischen Meeres hin, die Römer nach Actium führte und es darauf wagte, dass der Erdkreis über ihm und den seinen zusammenbreche."

Alteram vero partem [2] hoc loco omnino neglexit. Neque commode eum credo potuisse explicare eam eadem ratione. Etenim enumeratione illa notissimorum Heroum, inter quos nominatur Augustus, non ut aequalis quidem, sed tantum ut postea aequalis futurus, me iudice ostendit poeta se non agere de solo Principe. Non nego poetam singulariter laudasse quoque Augustum, sed singulis eum verbis quasi depingere voluisse minime concedo. Denuo enim si nullo praeiudicio ipsos versus spectamus, statim apparet saltem aliqua nequaquam Mommseni interpretatione explicari posse. Praeteriit silentio ipse vir doctissimus „nec fulminantis magna manus Iovis" quod utique si cum eo facis, mirum valde videri tibi debet. Nam Augustus, vir religionis neque superstitionis non plenus [3], magni Iovis fulmini superbe resistere procul dubio noluit!

Haec itaque omisit Mommsenus: alia vero vix plausibili commentatione instruxit. „Voltu" enim „instantis tyranni" quis nisi putide et moleste Antonium putet significari? Ideo

---

1) l.l. pag. 27.

2) a. v. 9—16.

3) Cf. Gardthausen »Augustus und seine Zeit" I 459 sq. et vide Suetonium vita d. Aug. c. 90 sqq.

praecipue in suspicionem inducor, quod poeta aliis locis pluribus tyrannum simili commemorat verborum contextu, ubi nec de Antonio nec de certo quoquam viro sermo esse possit. Rectissime idem iudicasse et elegantissime protulisse videtur mihi Rosenbergius [1]) „es gehören für gewisse Urteile gewisse Reihen von Gedanken uud Worten gleichsam von selbst zusammen" — verissime in ipsis Horatii carminibus id fieri nemo non fatebitur — sodass sie im einzelnen gar nicht mehr empfunden werden: und so gehört der „Tyrann" mit zu den Schrecknissen des Altertums". Idem porro equidem dicendum esse censeo de „*duce inquieti Hadriae*" atque insulsissime sane poetaque prorsus indigna ratione enuntiasset Horatius hoc loco: Augustum Romanos duxisse Actium „über die stürmischen Wogen des adriatischen Meeres hin". Quasi hoc reputaretur caput illius proelii gloriosi! Minime vero! ipse Hadria apud poetam, „gehört mit zu den Schrecknissen des Altertums" neque hercle si Actium Hispanicum fuisset non Graecum tacuisset de Hadria, ut opinor. Quid quod Carm. II, 14 eundem commemorat Austrum eiusdem „rauci Hadriae?"

In venustissima illa oda quae incipit „Donec gratus eram tibi" puellam suam horridius nil utique inveniens cum ipso Hadria comparat:

»Quanquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens."

At sit insulsa dicat quispiam, significatio a Mommseno e versibus hausta, quid inde concluditur? Insulsa atque inepta inveniri non raro apud hunc poetam, ostendit nuper cum sua elegantia, Philologus nostras plus quam

---

1) l.l. pag. 14.

octogenarius [1]) in „Epistula sua ad amicos?" Sed animadvertere velim dignissimum illum „elegantiae arbitrum" carmen hoc libri tertii tertium verbo ornasse „nobilissimo" [2]). Plane igitur sententiae eius satisfacere mihi videor defendendo sanum sensum ac vere poeticum. Haec hactenus.

Deinde multum temere conicere videntur mihi scriptores qui hanc eandem tuentur opinionem. Atque ipse Kreppelius [3]) licet neutri sententiae favere se fingat dum exquirit veram poematis vim, magis tamen quam par est in alteram declinat. Videamus argumentationem eius. Quia omnia transscribere utique longum est [4]), ut „iusto ac *non* tenaci" propriae sententiae viro liceat mihi seligere ea quae maioris sunt momenti [5]). Hanc priorum stropharum proposuit significationem: „Wer gerecht und beharrlich ist, den kann nichts schrecken. Diese Tugenden sind es die den Helden der alten Sagen den Weg zum Olymp gebahnt haben, und ihn auch dem Augustus bahnen werden. — Hactenus quis quidquam infitietur? — Hat ja doch Quirinus, der Gründer der Stadt, (sein Vorbild), ein zweiter Bacchus, den Weg dorthin gefunden." Haec minus fortasse perspicua alicui videbuntur. Atque primum quod vocat Quirinum Augusti exemplar, libentissime facio cum eo: etenim paulo tantum antea senatus dubius haeserat utrum Romulum eum an Augustum vocaret [6]). Erat igitur in promptu ut nomen istud Quirini, Principis memoriam apud lectores suscitaret.

---

1) Cf. S. A. Naber »Epistula ad amicos de clausula" pag. 20 sqq.

2) Cf. ib. pag. 25.

3) Der Zyclus der Horazischen Römeroden II Teil. 1904.

4) Libellus integer (63 pag.) in uno carmine tertio versatur. Copiosissime igitur singulas tractat quaestiones.

5) Cf. l.l. pag. 30.

6) Cf. Cassius Dio 53, 16 ubi narratur ipsum Octavianum nomen Romuli praetulisse.

Sed aliter se habet quaestio de Quirino qui *alter Bacchus* hic dicitur. Ubinam, roges, talia leguntur? Atque licet digressione parva sit opus, operae tamen pretium est inspicere viam qua vir doctissimus huc pervenerit. Singularem enim significationem tribui debere docet acute vir doctus ipsi ordini quo proferuntur heroum varia nomina. „Zwei Namen aus der Griechischen Mythologie eröffnen die Reihe, ihnen folgt der grosze Römer Augustus. Und obwohl noch die Verse 11 und 12 wenn man sie ohne Rücksicht auf das folgende liest, genau so darstellen, als habe damit der Dichter einen gewissen Abschlusz erreicht, greift er nun durch Anführung des Bacchus wieder auf die Griechen zurück und lässt dann abermals ein Römer folgen, Quirinus." Equidem sic concludam: „ergo praecipuum quod secutus est consilium poeta non fuit laus Augusti solius, verum orationi suae inseruit eum honoris causa, nam alioquin multo melius extremo loco eum laudasset."

At contrarium perhibet vir doctus, sive potius dicam eum aliud quid reiciendo obviam meam interpretationem subterfugere. „Merkwürdig, dasz Augustus der noch lebt mitten in die Reihe gesetzt ist. Schmeichelei kann das nicht sein; denn die hätte es ja gerade verlangt, den Princeps an das Ende zu setzen, um ihn so als das Ziel erscheinen zu lassen, auf das es bei der ganzen Entwicklung abgesehen ist." Recte quidem. *Adulationem* nec ego hic agnosco. Augustus enim artem callere hic maxime laudatam, satis ostenderat ut plurimorum cum assentatione inter viros praestantissimos atque adeo heroas a poeta computaretur. Fateri autem videtur quamvis inscius Kreppelius, cum Mommseni tum suae ipsius interpretationi melius convenire ut post ceteros tantum extollatur ipse Augustus. Atque ita sine dubio egisset Horatius, si in prioribus strophis principis non laudem tantum sed descriptionem et *ἀποθέωσιν*

intendisset. Etenim quasi per transennam solummodo in coelo eum aspicimus!

Sed pergamus. Mira enim sequuntur. — „Ferner wird es sich nicht bestreiten lassen dass die Göttlichkeit des Bacchus und Quirinus denn doch einer anderer Art ist als die des Pollux und Hercules. — Hi enim „sind erst durch den Tod zu einer gottähnlichen Stellung eingegangen." „All diese Erwägungen nötigen zu der Annahme, dass wir in den Versen 9—16 nicht eine fortlaufende Reihe, sondern zwei einander parallele Gegenüberstellungen haben:

1: Pollux Hercules und Augustus

2: Bacchus und Quirinus.

Pollucem porro cum Hercule unum aliquid esse contendit (opinionis suae causa?) et sic opponi Augusto; — „ist dem aber so, so enthält offenbar (!) die dritte Strophe ein gewolltes Emporsteigen von Pollux, der ja doch nur künmerlichen (!) Anteil am Olymp hat [1]), über den gewaltigsten Helden der alten Sage zu der erhabenen Person des Augustus. Die vierte Strophe kann dann keinen andern als vergleichenden und beweisenden Charakter haben: hat ja doch schon einmal ein groszer Römer, der allen als wirklicher Gott bekannte Quirinus, den stolzen Weg zu den Göttern ebensowohl zurück gelegt wie der von einer Griechischen sterblichen Mutter geborene Bacchus." — Ludere mihi visus est vir doctus. Pollucem enim tanquam aliis dis minorem hic representari a poeta quis credat cum Kreppelio? Atqui in hoc fundamento tota innititur argumentatio hactenus prolata. Iam vero hic iterum valent prorsus, mutatis utique mutandis quae supra laudavimus verba doctissimi viri Rosenbergii: „es gehören für gewisse Urteilen gewisse Reihen von Gedanken

---

1) Cf. Odyss. XI, 303. *ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε τεθνᾶσιν· τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.*

zusammen" apud antiquos saltem scriptores dum tractant fabulas. De industria antea pressimus locum illum Ciceronis ubi eadem nomina alio ordine leguntur [1]) neque erit difficile apud ipsum Horatium, opinionis illius refutationem clarissimam invenire. Nam in epistula quam decem dumtaxat annis post carmen hoc conscripsit [2]), eadem in eodem orationis contextu celebrantur nomina.

»Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux.
Post ingentia facta deorum in templa recepti" e. q. s.

Inverso igitur ordine ii etiam nunc enumerantur, quos enumerare solebant veteres, obscure tecte significatur Pollucis ‚sors minor' [3]).

Reiciamus ergo totum hoc inventum. Redeundum enim iam est eo unde digressi sumus. Postquam priorum stropharum tradidit interpretationem sic pergit: „Ohne Zweifel würde es dieser ganzen Entwicklung im höchsten Mass an innerer Einheit fehlen, wenn wir annehmen müssten, dass Horaz bei der ersten Strophe noch gar nicht an Augustus gedacht habe." Nos vero quia integram illam „Entwicklung" ut a Kreppelio fabricatam negamus, hac conclusione non tenemur. Ecce autem quomodo confirmatur deinde haec sententia. In prima stropha, inquit „soll nicht behauptet werden, dass alles und jedes was dort gesagt ist direct oder ausschliesslich auf den Princeps bezogen werden müsse. Ja ich möchte eine so weit gehende Annahme sogar als ausdrücklich ausgeschlossen bezeichnen, weil bei ihr die Klimax Pollux-Hercules-Augustus, störend in dem Zusammenhang eingriffe." Nihilominus verbis illis: ‚civium

---

1) Cf. supra pag. 55 et Tusc. Disp. I, 12.

2) Cf. Epist. II, 1, 5 sqq.

3) Vide etiam: H. Roehl. Berl. Phil. Wochenschr. 1911 col. 1120. »Jener Zyclus der Halbgötter war ja geradezu kanonisch (vgl. die Zusammenstellung bei Elter, in der Abhandlung über »Donarem pateras").

ardor prava iubentium' ipsis igitur iis, quae aliis *Socratem*, aliis *Catonem*, aliis *Regulum* clarissime significare videntur, Kreppelio persuadetur, hic agi *de Augusto*. Idem valet de ‚voltus instantis tyranni' quibus Antonius describitur non solum sed continetur insuper „eine — freilich versteckte! — Hinweisung, dass Freiheitssinn nicht von der Unterstützung der neuen Regierung abhalten dürfe."

Sic suo ut opinatur iure versus 5—8 qui valde molesti ei sunt hac ratione explicavit: „Dass sie keine directe Anspielung auf Aug. enthalten musz kann ruhig zugegeben werden, um so mehr als ja hier, auch die Deutung auf *eine andere bestimmte Person ausgeschlossen ist*[1]). — Non sine magno gaudio haec verba notavi — Durch den ganzen Zusammenhang und *durch den Inhalt der ersten Verse*[1]) ist ja die Beziehung des ganzen ersten Theils auf den Princeps *so klar*[1]) gestellt, dass sich Horaz wohl eine *nicht*[1]) auf diesen persönlich und *ausschliesslich zielende*[1]) (non constat sibi vir doctus!), weitere Ausmalung der iustitia und constantia erlauben könnte."

Audacter, hercle, haec sunt scripta. Quasi primis illis versibus, qui tot tantasque moverunt controversias, qui ipsi Kreppelio modo erant obscurissimi, luce subito clarius *Augustus* fuerit depictus.

Ipsa res ni fallor satis contra se ipsam loquitur. Talibus qui utitur argumentis, firmiora non invenit! Severe admodum condemnavit Kreppelius clarissimum virum Jurenkam, quod singulorum ferme Horatii versuum exempla quaerit apud Pindarum. Tandem autem exclamat: „Man fragt sich wirklich vergebens, was denn Horaz hatte schreiben müssen damit für Jurenka eine Beziehung auf Pindar ausgeschlossen gewesen wäre[2]).

---

1) Litteris inclinatis imprimenda haec ego curavi.

2) Cf. l.l. pag. 29 in annotatione.

Haec verba retorqueri posse existimo et in ipsum Krepelium et in nonnullos alios interpretes. Quid enim Horatius in his odis scribere tandem potuit, quo eum tecte vel tectissime Augusti virtutem significasse non dicerent? Quid — interrogare velim Domaszewskium — quod monumentum Ancyranum quomodocunque non narraret? Temere enim hic absque ulla explanatione inscribit poema — ‚Iustitia' [1]) — Nimirum in Monumento desideratur ‚constantiae' commemoratio. „Clupeusque aureus in Curia Iulia positus, quem mihi senatum populumque Romanum dare virtutis clementiae iustitiae pietatis causa testatum est per eius clupei inscriptionem." Neque notandum esse duxit vir doctissimus, de *iustitia* non multum utique dixisse poetam, de constantia autem egisse praesertim! ipsi scilicet cum esset suo pulcherrimo invento penitus captus, sufficere est visum, primam carminis vocem ad confirmandam sententiam aptum praebere argumentum. Apparet autem unicuique hac ratione non carmini expositionem, expositioni vero ipsum carmen accommodari. Ansam aliquam praebuit quidem Horatius his interpretationibus nominando novo eius gloriosoque nomine principem, sed quid mirum hoc loco? Nonne Augustus recte, absque omni adulatione dici potuit propositi sui egregie tenax? Qua virtute si ornatus non fuisset minime hercle ad summam dignitatem pervenisset inter tot tantasque temporum aerumnas. Adeo praeterea inter aequales magni aestimabatur, divinisque honoribus tum temporis ut ita dicam cumulabatur, ut iam referretur in numerum heroum illorum, qui in coelum ascendere meruerant non solum sed

»in caelo cum dis agere aevum".

At cum P. Corsseno [2]) in dubium voco: „Will der Dichter

1) Vide l.l. pag. 305.

2) Cf. l.l. pag. 590.

in ihnen, wie jetzt fast allgemein angenommen wird, den Augustus schildern? Der gewöhnlichen Logik entspricht diese Annahme zweifellos: Augustus wird den Heroën gleichgestellt. Sind die Heroën solche Männer gewesen, so ist es auch Augustus. Folglich haben wir ihn in diesem Bilde zu erkennen. — Aber die Anwendung einer solchen Logik wäre eine brutale Vergewaltigung des Dichters. Man musz die beiden Strophen nicht von rückwärts, sondern in Anschlusz an die zweite Ode mit der sie auf das engste zusammenhängen, und aus dem Geist des ganzen Odencyclus erklären."

Excipiunt enim hi versus continuo atque ut annotavit olim Dillenburgerus [1]) „subita quadam ratione" illos de virtute in Oda II, et inde ab antiquis temporibus nexum artum agnoverunt interpretes. Qui eo sunt progressi ut versibus his alteram odam continuari opinati sint. Hoc vehementer impugnat Seligerus [2]). Primum enim, nescio qua re motus, bonum illum scholiastam Porphyrionem, — quem hoc loco apud singulos ferme commentatores laudatum invenies, — ignorantiae coarguit. Notavit enim ille [3]): „non est alia haec ᾠδή quam superior, sed illi adhaeret. Quare falluntur qui eas separant, quippe cum manifeste operi adhaereat hoc modo: hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit, gratum elocuta consiliantibus Iunone divis." Ad quae Seligerus: „man braucht sich nur die Worte des Dichters anzusehen (quae prorsus eadem mihi videntur) um zu erkennen, das hier ein offenbares Versehen Porphyrios vorliegen musz; uns ist est wenigstens unbegreiflich wie Jemand einen *ablativus absolutus* als Hauptsatz hat

---

1) In editione sua Horatiana.

2) Cf. l.l. pag. 313.

3) Ad versum 17 huius carminis.

fassen können. Und wenn in einigen Hss. die beiden Oden als eine geschrieben sind, so könnte man eine Unaufmerksamkeit des Schreibers annehmen."

Misso illo „ablativo absoluto" qui si sine ira et studio(!) aspicitur, optime potest intellegi, ad ipsam coniecturam de scribae neglegentia notare velim, rem ea minime solvi. Quaeritur enim qua ratione motus ipse Porphyrio animadvertendum esse duxerit id quod animadvertit. Nam concludimus illa aetate et antea dubitationem exstitisse de illa re. Cum igitur in fine commentationis suae addit haec Seligerus: „Ferner berichtet Cruquius vom Blandinius antiquissimus, dasz in ihm Ode II und III ohne jegliche Trennung auf einander folgen: aber auch diese Anordnung ist unverständlich, und es ist nicht ausgeschlossen, dasz sie auf einen Misverständnis der Bemerkung Porphyrios beruht", *effugit* difficultatem vir doctissimus [1]). Nam ii qui tertiam odam v. 17 incipere perhibebant primam utique partem alterius carminis finem esse censuisse planum est. Secus enim non de ‚tertia' sed de ‚quarta' iam oda fuisset sermo.

b. *Spectaveritne poeta Reguli laudes.*

Quid est autem cur vir doctissimus tanto opere conetur nexum illum solvere? Supra verbo iam innuimus eum docuisse *Reguli* laudes contineri in prioribus versibus. Demonstrare voluit et — id ingenue fateor — veri simile reddidit valde primo aspectu, ordinem odarum Romanarum inverti, mutari debere. Post carmen alterum posuit sextum, ita ut tertium extremum tandem obtineat locum.

---

1) In his ne quis quaeso Cruquii videat defensionem qualemcumque! Neque Seligero neque mihi argumento sunt quae ille vir perhibuit. Vide Beckium »Horazstudien" pag. 45, et Bickium »Horazkritik" seit 1880 pag. 35—48.

Legetur itaque statim post Reguli longam laudationem in carmine quinto a poeta prolatam. Ergo nil miremur quod extremas adhibeat vires ad eludendum Porphyrionem! Neque magis miremur „dasz die Anfangsworte ausgezeichnet auf Regulus passen würden" [1]).

Ex eo ipso quod interpretes ad unum omnes suo quique heroi verba illa mire convenire duxerint, probabiliter possumus eruere argumentum nullum certum virum iis designari.

Ea enim quam alio sermone vocamus „passe partout" vix vere dicitur *unius* ianuae clavis.

Audiamus virum doctum. „Man hat an Socrates gedacht (quod adhuc facere videtur vir supra laudatus Doerwaldius [2]) und in der That wen wir nur den Wortlaut der Stelle — *Καὶ ὑμῶν κελευόντων καὶ βοώντων* — mit ‚civium ardor prava iubentium' zusammenstellen so dürfte sich wohl keine passendere Vergleichstelle finden lassen."

At quominus admittat hanc sententiam prohibetur voce „hac arte". Quae est „die practische Tüchtigkeit für welche Socrates nur sehr uneigentlich als Vertreter gelten konnte." *Regulum* vero si spectas difficultate omni liberaberis!! Quid enim significaverit poeta per „civium ardor" interpretatione non indiget, sed quid de „tyranno"? — „Ebensogut wie ein Barbarenkönig kann auch das Karthagische Volk in seiner Gesammtheit Tyrann genannt werden da es hier nicht auf den Begriff des Alleinherrschers ankommt." Iam attende ad ea quae sequuntur — nam postquam aliquos versus quomodocumque, Regulo suo accommodavit, in eandem difficultatem incidit vir doctus in quam supra Kreppelius: „die Worte ‚neque Auster' etc. bieten

---

1) Cf. l.l. pag. 312.

2) Cf. l.l. pag. 236 (8).

nun allerdings keine unmittelbare Beziehung auf Regulus; aber es handelte sich für den Dichter nur darum, das Bild eines Mannes zu entwerfen, der so fest war wie dieser, *ohne dasz sämtliche Züge*[1]) mit dem Vorbilde übereinstimmen brauchten." Mirum tamen esset, quod poeta virum quendam describere volens, sui carminis non nisi minimam partem eius tribueret laudi — idque qua tandem perspicuitate?

c. *Spectaveritne poeta laudes Catonis.*

Maiore sane probabilitate ii opinionem suam confirmant qui Catonem hic spectari censent. A Catone enim exemplum iustitiae ac tenacitatis saepissime petitur apud Tullium. Atque Petrus Corssenus qui huic sententiae est addictus, locos nonnullos attulit èt Ciceronis[2]) èt Senecae[3]) qui satis conveniunt cum iis quae hic sunt enuntiata. At tametsi ego aliud praeterea repperi exemplum Ciceronis, quod magis fortasse persuadeat nonnullis quam loci a Corsseno allati, nihilominus cum eo non facio.

Locus est: — Off. I, 32 — ubi de naturarum differentia agens, ut hanc veram esse ostendat: „Num enim alia, inquit, in causa M. Cato fuit, alia ceteri qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua *constantia* roborasset, semperque in *proposito* susceptoque consilio *permansisset*, moriendum potius, quam *tyranni vultus* aspiciendus fuit."

---

1) Quantum mutatus ab illo, qui supra alia prorsus requirebat ab adversario suo!

2) Tusc. V, 4. — Off. I, 112. — De Provid. II, 1, 3.

3) De prov. I, 2, 9. — Ep. 24, 6.

Quis non videt quam mire haec cum versibus Horatianis conveniant? Neque negabo id ipsum, quod in exponenda altera oda libenter concessi [1]): Horatium talium Tullii locorum non immemorem saltem fuisse, cum carmina sua componeret. Minime vero necessario ex eo efficitur, Catonem quem ita egisse probe sciebat poeta, diserte quoque ab eo laudari.

d. *Sententia scriptoris.*

Laudavit quemcumque vere sapientem qui iustitiam coniungeret cum constantia, secundum celeberrimam Stoicorum doctrinam in eodem libro Ciceronis [2]) expositam. Amabant porro philosophi illi sapientes suos depingere ut viros intrepidos, qui in mediis periculis tum ab hominibus tum a natura sibi imminentibus nil commovebantur. Quae si non omittimus priorum stropharum expositio facillima erit. Omnis prorsus evanescit difficultas. Et quae Rosenbergius contra Mommsenum [3]): „Wie viel schöner erscheint die Schilderung des Heldenideals beim Trümmersturz, wenn man es eben als Ideal fasst, als wenn man den vorsichtigen Augustus sich mit seinen wurzigen Schiffen um die Herrschaft ringend denkt", non tantum valent de Augusto sed de Catone et de quovis alio, si mutas quae mutanda sunt. Universe igitur intellegenda est descriptio constantiae ac iustitiae. Leni tum revera cursu, ut ait Karstenius l.l. progreditur oda a duplici illa virtute ad eos qui hac arte enisi arces attigerint igneas. Ipsisque pueris, quos non minus quam antea hac oda vult docere poeta, vivide ante oculos ponitur imago animi amplitudinis, quae ipsis comparanda est.

---

1) Vide supra pag. 51 sqq.

2) De Off. I, 19: »nihil enim honestum esse potest quod iustitia vacat".

3) Cf. l.l. pag. 13 in m. p.

§ 2. Iunonis oratio. Interpretes dividuntur in tres classes.

Quae postquam absolvimus ad longiorem carminis partem est transeundum, qua continetur Iunonis oratio. Diversissimae et hic cumulantur sententiae, quare eas ut facilius rem perspiciamus in genera quaedam dividemus, quorum singula brevius quam uberius pertractare malo. Itaque Kreppelium [1]) ferme secuti tripartito sic tractabimus scriptores varios, ut alios dicamus *historicam* tradere interpretationem, alios *moralem*, alios denique docere *ad verbum* esse intellegendum poema.

a. *De iis qui historicam tradunt interpretationem.*

Historica interpretatio, quae minime est nova originem suam duxit ex loco notissimo Suetonii [2]) ubi et alia et haec narrantur: „Quin etiam varia fama percrebruit migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperii e. q. s." Varie tamen opinio haec mutata est. Primum enim credebant nonnulli Augustum Principem *idem* consilium migrandi habuisse, quod ‚pater' eius olim habuit. Quam opinionem hodie nemo tuetur. Alii autem contendunt ipsi Augusto persuadere nonnullos voluisse ut *Troiam* transmigraret, alii *Antonium* hic spectari, quippe qui in Orientem iam transtulerit imperii sedem [3]).

---

1) Cf. l.l. pag. 9, sqq. Ipse tamen quattuor genera proposuit, quae vocat: »Politische — historische — wörtliche — moralistische Auffassung".

2) In vita d. Iulii c. 79.

3) Horum generum nulli non adversatur Corssenus. Neque inutile mihi videtur statim doctissimi viri disputationem audire. Haec enim docet: »Und doch scheint mir, schon aus rein geschichtlichen Gründen, die Annahme dasz irgend Jemand den August zu solchen Plänen gedrängt oder gar die Zeitgenossen ihn selbst solcher Erwägungen

Ipsa Mommseni opinio antea a Kolstero [1]) primum prolata postea praeclari viri inventum reputatum est. Qui, ut annotat Rosenbergius [2]): „diese Beziehungen, wenn auch nicht neu, so doch in einer grossartig-scharfen, eines Mommsen würdigen Weise dargestellt hat." Multum laudis multi viri docti ipsi detulerunt. Iam audiamus quae sunt eius verba [3]). „Das dritte der sechs Feiergedichte greift unmittelbar ein in die politischen Zeitfragen. Es führt uns in den Götterrath und zeigt in welcher Weise Rom die fast verscherzte Gunst der Olympischen wieder gewonnen hat und unter welchen Voraussetzungen sie ihm bleiben wird." Adverte haec *nequaquam* verbum pro verbo reddere ea quae leguntur in carmine.

Primum enim nullo modo dicitur usquam *Romam* pene perdidisse deorum gratiam, nam id affirmatur tantum de *Troia*. Perperam igitur adhibuit vocem ‚wiedergewonnen'.

---

für fähig gehalten hätten, schlechterdings ausgeschlossen zu sein." En argumenta cur hoc neget:

— »der eminent nationale Karakter, den seine Politik getragen hatte" —

— »von vornherein hatte Octavian seine Stütze in Rom und Italien gesucht."

— »Diplomatie .... dasz er den letzten Krieg als den Entscheidungskampf zwischen *Okzident* und *Orient* erscheinen liesz."

Porro — »Wie hätte das Gerücht entstehen sollen, der Kaiser der ausgezogen war, die Vaterstadt zu retten, werde nach seiner Rückkehr die Vaterstadt entthronen?"

Dein: »Eben so unglaüblich dasz Antonius e. q. s.

»Antonius hatte ja den Platz für die Hauptstadt der Welt gefunden, als deren Herrn er sich schon vor den Kampf gerierte. Wuszte man doch ganz genau dasz wenn Antonius siegte der Schwerpunkt der Welt von Rom nach *Alexandreia* fallen würde. Cf. l.l. pag. 583 sqq.

1) Jahrbücher 1857, pag. 505 sqq.

2) l.l. pag. 13.

3) l.l. pag. 27 sqq.

Ideo statim haec annotanda esse duxi, quia si haec admiseris cetera utique nimis facile Mommseno concedas. Qua vero ratione vir doctissimus versionem suam probabilem reddiderit iam videbimus. „Deutlich wird hier hingewiesen auf die Kleopatra mit ihrem Buhlen: sie ist die mulier peregrina die Ausländerin, die griechische Ehebrecherin, durch die Ilion zu Grunde gegangen ist und an der auch Rom zu Grunde gegangen sein würde, wenn es ihr gelungen wäre vereint mit dem von ihr berüchten römischen Gast — famosus hospes — Ilion abermals aufzurichten. Darin liegt ohne Zweifel eine bestimmte Beziehung. Caesar dem Dictator ist es nachgesagt worden, dass er beabsichtigt habe die Haupststadt nach Troia zu verlegen. Dies meint der Dichter nicht, da es mit den damaligen Verhältnissen nichts zu thun hat und überhaupt sein Tadel nicht gegen den Vater des Augustus richten kann; aber es *ist kaum zu bezweifeln*, dass eine ähnliche Rede gegen Antonius in Umlauf war."

Primum igitur verbis illis „famosus hospes" et ‚mulier peregrina' Cleopatram et Antonium tecte significari existimat Mommsenus. Atque rectissime ni fallor admittet unusquisque Romanos Horatii aequales talia verba facile cogitatione coniungere potuisse cum factis illis adeo recentibus. Item Horatium id fecisse. Non autem admittendum iam est tanquam certum, hoc inniti fundamento totam deae orationem, aut poetam poema suum ita composuisse ut, quae narraret antiqua et fabulosa, a lectore commodari possent factis occulte significatis. In narratiunculis enim ab vulgari nominum significatione non recedendum esse puto nisi vèl ipse poeta praedixerit se loqui translate, vèl si idipsum sua sponte ex versibus appareat. Quarum condicio prior nullo modo impleta mihi videtur, nam contra leniter valde et absque ulla transitione — in coeli regionibus dum versatur —

procedit. Quirini consecratio continuari videtur neque primo aspectu ratio alia exhiberi recte potest illorum omnium quae sequuntur nisi haec: Quirinus Acheronta fugit, quod approbandum fuit *inimicae antea* Iunoni.

Altera vero condicio aut statim unicuique adesse luce clarius apparere debet (quod sane praestat) aut ab illo cui hoc clarum est, aliis adesse est probandum. Argumenta igitur merito requirimus a Mommseno. Quae non dantur hoc loco. Ut autem eius opinionem integram noverimus alia etiam transscribenda sunt: tum demum iudicandum. Memini alicuius loci Hartmanni, qui [1]) inventum hoc — quod Mommseni esse putabat —, splendidissimum vocat, dein, severissime contra „quoddam male sedulorum genus" invehit „qui ut et ipsi suum acumen ostendant, ad recentissimam quoque coniecturam nihil non exigant, atque ita utilissimas observationes ridiculas reddant."

Memineram doctissimum virum argumenta laudasse quae Mommsenus „magno acumine magnaque doctrina" contulisset. Postquam autem iterum legi Hartmanni commentationem elegantem, egregie erravisse eum opinabar atque opinor. Haec enim sunt eius verba: „Nuper Theod. Mommsenus oratione quadam, quae loci Horatiani III. 3. 57 sqq. vera esset vis egregie ostendit: argumentis enim magno acumine magnaque doctrina collatis demonstravit iam Augustum de sede imperii Roma in Orientem, sive Troiam sive in aliam urbem transferenda cogitasse."

Quod ad illa „argumenta" auctoritatem affero doctissimi viri Karstenii qui ipse demonstrationem suam hisce incipit verbis [2]): „Clarissimi viri interpretatio quae in solemni oratione *promulgari* tantum, *non argumentis probari potuit*,

---

1) »De Horatio Poeta" pag. 120.

2) Cf. l.l. pag. 155.

cur mihi vera esse videatur breviter declarabo". Et quod ad Mommseni opinionem: illam penitus mutatam et inversam ab Hartmanno proferri quis non videt? Habet enim haec ipse celeberrimus interpres [1]):

„Keiner der mit offenen Augen dieses ernste und schwungvolle Gedicht liest, kann sich dem Gedanken entziehen das der warnende Sänger *Byzanz geahnt* hat, die nova Roma an den Dardanellen, und man irrt damit nicht." Hic — ut pauca subinde liceat intericere — doctissimus Karstenius qui eadem transscripsit in sua commentatione, lepide posuit signum interrogationis (?). Atque hercle aut poetico admodum aut audaci praeditus sit ingenio oportet, qui serio talia proferat. „Quod licet Iovi non licet bovi seu verius: quod non licet bovi iam liceat Iovi." Pergit: Der Dichter spricht nur aus was die unvollkommene geschichtliche Ueberlieferung dieser Epoche zu melden versäumt hat und was dennoch unendlich (!) wichtiger ist als beinahe alles, was sie berichtet. Sicher ist es in all den Jahrhunderten der Republik keinem Römischen Bürger auch nur in den Sinn gekommen, dass das Römerreich anderswo als in Rom seinen Mittelpunkt finden könne. Aber es ist nicht minder unzweifelhaft dass umgekehrt gleich mit den Anfängen der Monarchie die Frage in Rom ihren Einzug gehalten hat, ob für den Grossstaat, für das ungeheure Reich des Mittelmeeres die Italische Continentalstadt das rechte Mittelpunkt sei, weiter die Frage ob der neue Wein nicht den neuen Schlauch, die Umgestaltung der alten Ordnung nicht die Decapitasirung Roms nothwendig machte." Hic animadverto mirari me quod tales et non alias causas adduxerit Mommsenus cur flagitarent nonnulli migrationem. Locus enim Suetonii supra laudatus

---

1) l.l. pag. 28.

mentionem quidem facit „exhaustae dilectibus Italiae": id autem bellis civilibus erat tribuendum, non monarchiae institutae; porro qui universi illorum temporum imperii Romani inspicit tabulam descriptive depictam, non dubitabit, ut opinor, quin fuerit Roma „das rechte Mittelpunkt".

Quae sequuntur de Camilli oratione, a Livio nobis tradita [1]) nunc mittimus mox pauca de iis dicturi [2]). Concludit autem vir praeclarus: „Horaz wie Livius sprechen *im Sinne des neuen Augustus.* Sein Regiment, ein Compromis zwischen der alten Republik und der neuen Herrengewalt, hat so gehandelt, wie die Juno des Dichters, der Camillus des Historikers es verlangen: Rom blieb Rom und die einzige Reichshauptstadt." Haec hactenus. Mommsenus igitur quae dixit *plane* differunt ab iis quae dicentem eum fecit Hartmannus. Non hoc habuit in animo princeps ut sedem suam mutaret. *Argumenta* vero acumine ac doctrina plena neque pro hac neque pro sua attulit sententia.

Karstenius qui Mommseni partes suscepit qualia tradiderit nunc inquirendum est [3]). Primum est quod „non imperii administratio adstricta erit institutis ac legibus angustae rei publicae, unius pene urbis regimini inventis et destinatis." Haec autem exoleta rei publicae forma exui non posse videbatur, quamdiu Romae sedes imperii manebat. Alterum quod, cum Suetonii ille locus ostendat „non aegri somnia fuisse, sed callidum consilium probe pensitatum", — cumque Antonius Alexandriam alterum orbis caput reddiderit, — optime fieri potuerit ut Ilium regnum transferretur. Fama enim maxime erat notum oppidulum, exempla habebat cum Pergamum tum Antiochiam. Regimen imperii tam bene

---

1) Cf. V, 50 sqq.

2) Vide infra pag. 94.

3) Cf. l.l. pag. 155 sqq.

extra Italiam geri posse res ipsa docuerat, cum Octavianus abesset per biennium."

Extrema haec sententia non parum debilitare mihi videtur primum argumentum! Absente enim principe si res sat bene gerebatur melius certe atque optime si ipse Romae degeret! Praeterea quod attinet ad utrumque argumentum, — Karstenius enim facit cum Mommseno, et ipsi Augusto consilia talia non tribuit — quinam quaeso erant qui regnum cuperent transferri? Numquid senatores viri plerumque aetate iam profecti? Hi autem non solent talia migrandi fovere desideria.

Numquid ceteri nomine fortunisve insignes? Res fert ut illi homines magna auctoritate gaudeant intra limites suae regionis. Praesto est quid concludendum sit. Fieri tantum potest, ut aliqui rerum novarum stolide appetentes tale consilium excogitarint.

Idque absque omni spe rei exsequendae. Statim enim post reditum suum, Octavianus, èt templis non minus quam octoginta duobus urbem adornare èt rem firmissime constituere coeperat [1]). Praeterea opinio illa: exoletam regiminis formam exui non posse", non firmo innititur fundamento. Immo, innumerabiles difficultates cum ipsa migratione coniunctae essent illis temporibus. Vix aut ne vix quidem orbis pacem conciliaverat Octavianus nec nisi summa prudentia et concilio ulterius procedebat; — ne quem offenderet, ne sua quaerere videretur cum reipublicae detrimento. Quid vero si Romam ut ita dicam fato suo proderet? — In ipsa autem urbe facile totum regimen poterat transmutari. Si vero non statim ita est factum: id rei difficultati minus tribuendum videtur quam voluntati eorum, quibus vetus

---

1) Uti in monumento Ancyrano testatur. — 4, 17 sqq. — »Duo et octoginta templa deum in urbe consul sextum ex decreto senatus refeci, nullo praetermisso quod eo tempore refici debebat."

proderat ratio imperii, atque prudenti Principis tarditati. Omnibus hic perpensis concludendum est Horatium poetam non eum fuisse qui propter paucos illos imbecillos (si fuerint!) carmen hoc componeret. Istis enim fabula aliqua de Iunone narrata quomodo unquam persuaderet?

Restat oratio Camilli, ad quam Wilamowitzium primum animum intendisse dicit Mommsenus. Inveniuntur ibi profecto quae facillime de Roma relinquenda „Troiaque reparanda" intellegere possimus. *Duplex* tamen obstat difficultas. *Prior* est quod iuxta multa quae favent Mommseni et Karsteni opinioni, alia multa omisisset T. Livius si eadem intendisset. Migrandum enim erat Veios [1]), non in regionem longinquam; Urbs nondum erat magna, et quod maius est, funditus vastata: perabsurdum fuisset temporibus Augusti tantae civium multitudini suadere ut „transmigrarent": habetur autem apud Livium V, 50: „agitantibus tribunis plebem assiduis concionibus, ut, relictis ruinis, in urbem *paratam* Veios transmigrarent." Neque autem haec maxima non spectanda est nobis discrepantia: Oppidum fuisse paratum Veios, Romam vero destructam. Horatii contra temporibus Roma florebat, Ilion erat oppidulum nullo modo ad quidquam ‚paratum'. Denique apud Livium proponitur migratio ut *inopum* atque *impiorum* hominum, apud Horatium ne *nimis pii* sint monentur Romani, certo minime tum *inopes*

»ne nimium pii
tecta velint reparare Troiae."

Longum est sane capita illa Livii hic describere. At cum legissem atque iterum legissem quae scriptor ille dicentem fecit Camillum, miratus sum quod propositum tale ei tribueretur.

---

1) Cf. l.l. V, 53.

Nam *altera* difficultas est in eo quod monuit Niemeyerus [1]). „Es ist nur nicht ganz klar, ob Mommsen die ganze Sache für eine Erdichtung des Livius ansieht, oder ober, dasz in Rom über die Auswanderung nach Veii verhandelt worden, für historisch überliefert hält und die Rede des Camillus für eine freie Composition des Livius. Ist das letztere anzunehmen — und ich wuszte nicht, was gegen diese Annahme mit Grund eingewendet werden könnte — so frage ich: welcher Satz findet sich denn in der Rede des Camillus, den ihm der Schriftsteller nicht ganz eben so gut in den Mund legen könnte, wenn zur Zeit, als er schrieb, kein Mensch an eine ähnliche Auswanderung aus Rom dachte?" — Contra Livius recte historiae ‚fabricator' ab aequalibus suis esset habitus, si ita egisset.

Et ut hoc addam — nam argumenta facile aliquis nostra augere aliis poterit — quod testatur Hartmannus [2]): „Apud eroticos certe Augusteae aetatis poetas communem illum esse locum de urbis Romae et Italiae laudibus" „urbem Romam amant, ibi revera sibi vivere videntur, illa relicta semetipsos quaerunt". Id non dubito quin ad optimum quemque transferri possit.

Ipse Hiemerus [3]) qui item facit eum Mommseno nihilominus fateri cogitur magnam difficultatem interpretationi huic non deesse. Operae pretium est ut cum quoque audiamus.

„Vergleicht man nun aber die Rede der Juno mit dem Gedanken den sie ausdrücken soll, so bleibt doch noch ein Rest der nicht aufgeht. So wenig man zweifeln kann dasz sich der Protest der Göttin gegen die Verlegung der Residenz in den Orient richtet, so bleibt die *Einkleidung*

---

1) Cf. l.l. pag. 69.

2) Cf. l.l. pag. 121

3) Cf. l.l. pag. 28.

des Gedankens immer noch *befremdlich*" [1]). Rectius ut mihi videtur dixisset vir doctus: „Da in der Annahme vom Protest etc. die *Einkleidung* des Gedankens durchaus *befremdlich* wäre, kann man nicht zweifeln die Annahme sei *falsch*."

Sequuntur quaedam digna quae attendantur: „Wenn der Kern der Rede ist, das Rom Rom bleiben soll, warum verbietet sie dann nicht den Auszug aus Rom, warum macht sie nicht zur Bedingung ihrer Versöhnung, dass die ausgewanderten Trojaner ihrer neuen Heimat treu bleiben? Der Gedanke einer Verlegung des Reichsmittelpunktes nach Alexandreia wird von ihren Worten gar nicht getroffen. Ausserdem erwartet man dass in diesem Falle der Dichter an alle Gefühle appellieren würde, die gegen ein Verlassen der Heimat sprechen, wie Camillus dies bei Livius auch wirklich tut." Recte. Quid autem fecit poeta? Unica quam commemorat causa, ratio cur vetuerit dea migrationem est ipsa eius ira in Troianos, in iudicem illum, qui venustatis praemium ipsi recusaverat [2]). Atqui sat inepte fecisset si talibus nugis fretus, consilium quoddam susceptum ac pensitatum mutare voluisset Horatius.

Eadem omnia valent, ut mihi videtur, de versibus Vergilii quos laudant de hac re disputantes historicae opinionis fautores.

»Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit occideritque sinas cum nomine Troia." [3])

Atque libenter credo Karstenio ubi dicit: „Scripsit haec

---

1) Litteris inclinatis imprimenda haec ego curavi.

2) Cf. Vergilii illud:

»manet alta mente repostum
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae."

3) Aen. XII, 838 sq.

Vergilius non, credo, immemor eorum, quae amicissimus Flaccus sex vel septem annis ante cecinerat." Neque recte negabit aliquis illud: „ceterum Horatius hunc locum tractavit multa arte et elegantia, unde etiam ii haec summopere admirantur, qui ex mera φαντασίᾳ profluxisse putent" [1]. At multum dubito num iis versibus scribendis hoc intenderit Vergilius, quod eodem loco affirmat idem vir doctus, „ut sua auctoritate Horatii versus confirmaret", atque ob causas varias supra allatas.

At, dicat quispiam, Hiemerus ille, qui historicam interpretationem quamquam tuetur, tantam tamen protulit difficultatem, quid ipse ad eam respondit?

Novum quid, — miraris fortasse, lector? — invenit vir doctissimus, nondum vero, satis id probavit, ut ipse ingenue fatetur.

Difficultate supra allata minime exterritus sic procedit: „Wenn der Dichter nicht genötigt war diese Einkleidung zu wählen, so fragt man sich (rectissime utique) warum er nicht, was er sagen sollte, *wie es seine Art ist*, klar und deutlich aussprach? Wo man wirkliche Unklarheit findet, darf man ruhig annehmen dasz uns Voraussetzungen fehlen. Vielleicht lassen sich diese reconstruieren."

Quibus dictis aggreditur opus ingratissimum, quod mihi videtur. Putat enim [2]) oracula quaedam fuisse Romae nota, quae originem ducerent ex Sacra Scriptura; et quibus Ilion reparare iuberentur Romani — (Daniel? Iesaias?) — Piis igitur hominibus qui tali oraculo parendum esse crederent, opposuit poeta Iunonis iram nondum sedatam. Ingeniose sane proponuntur nobis haec omnia, neque sua

---

1) Cf. l.l. pag. 157.

2) Cf. l.l. pag. 28—39.

fortasse carent probabilitate; attamen in fine nobiscum facit auctor cum dicat:

„Freilich ist alles was hier über diesen Orakel vorgetragen wurde (pag. 28—39!) *reine Vermutung*, die noch in ganz anderer Weise bewiesen werden müsste um als geschichtliche Wahrheit gelten zu können."

Atque haec hactenus de sententia historica.

b. *De iis, qui moralem tradunt interpretationem.*

Moralis quae dicitur sententia a multis hodie non defenditur. Maxime, ut monuit Kreppelius [1]), convenit cum illa, quae ad litteram poema interpretatur. Quandoquidem et haec aliquantulum saltem postulat 'ethicum' propositum poetae. Inter antiquiorum plurimos [2]) — de quibus nunc dicere non nostrum est — Seligerus [3]) haec profert:

„Ueberhaupt gewinnt unsere Ode die richtige Beleuchtung erst durch den Vergleich mit der sechsten. In dieser geisselt der Dichter die Verachtung der Götter und die Sittenlosigkeit im Römischen Volke mit scharfen Worten, und damit über Zweck und Absicht der Rede Junos kein Zweifel bleibe (!) beginnt sie mit den Worten welchen das wirksam an die

---

1) Cf. l.l. II pag. 9.

2) Cf. Dillenburgerum in prooemio ad Carmen 3: »Inter Romam et Troiam mare saeviat necesse est, Troia ut renascatur nunquam potest concedi: hoc cavendum est ne Roma exemplum Troiae sequatur, ne Romani cives divitiarum blanditiis deleniti voluptatibusque capti divinam maiestatem et sapientiam spernant."

— Vel Rosenbergium (in *editione*): »wenn nur die Römer von dem Schicksal ihrer meineidigen, in Unsittlichkeit versunkenen Vaterstadt Troja lernen wollten und ein sittliches Heldentum bewährten.

— Eadem fere Nauckius (in editione).

— Vide etiam Rauchenstein: »Ueber den Sinn und die Tendenz der dritten Ode des dritten Buches des Horatius" in: Neues Schweiz. Mus. 1861 pag. 129 sqq.

3) Cf. l.l. pag. 316.

Spitze gestellte zweimalige Ilion besondern Nachdruck verleiht:

»Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento."

Veri profecto sunt valde similia quae tradidit vir doctus. Et ad confirmandam ipsius doctrinam equidem addere velim versus illos 49—52 „quasi per auras delapsos":

»Aurum irrepertum et sic melius situm
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra."

optime conciliari posse cum iis quae dixit. Etenim commemoratur Laomedon, qui deos mercede pacta destituit. Atqui merces deo cuidam pacta recte dici potest „sacrum". Hoc autem deo quasi raptum est: „rapitur dextra."

At denuo obstant nonnulla quominus omni ex parte cum eo faciamus. Non est id quod annotavit Niemeyerus [1]: „hätte Horaz Roms Herrschaft im Bestand an die Bedingung guter Sitten knüpfen lassen, so hätte das in seinem Munde nicht viel anders geheissen als Rom seinen baldigen Untergang prophezeien." Etenim in sententia Seligeri rectissime interitum minatur poeta, dummodo ne impleant condiciones propositas Romani. Sed quomodo secundum Seligerum intellegendus sit versus: „ne nimium pii", ego non intellego.

Nequit enim dici serio, (idque minime a Iovis uxore!) Etenim in eius interpretatione „tecta Troiae reparare" hoc significat: nimia aliquem peccare pietate eo quod morum

---

1) l.l. pag. 71.

pravitati et perfidiae se dedat! Quae difficultas talis est, ut me iudice totam dirimat quaestionem.

Idem porro cadit in alterum eiusmodi opinionis defensorem clarissimum virum Doerwaldium [1]. „Indem wir es auf sich beruhen lassen, wie weit der in dem Liede zurückgewiesene Gedanke eines Wiederaufbaues Troias ganz bestimmte reale Gedanken des Augusteischen Zeitalters wiederspiegelt, sehen wir in der Warnung Junos ein poetisches Bild, welches dem Dichter noch von dem Anfang der Rede her vorschwebt und welches den Gedanken zu poetischen Ausdruck bringt, dasz Rom seine Weltherrschaft nur so lange ausüben kann, als es von der Unsittlichkeit, welche seiner Mutterstadt Verderben bringen muszte, sich fern hält und die Römer in sittlichem Heldentum ihren Weltberuf erfüllen."

Ingenue fateor me tantum non doluisse quod horum scriptorum doctrina falsa esse mihi visa est. Egregie enim congruit cum iis quae supra diximus de consilio, quod prosequitur Horatius in hac quoque oda: ut reddat meliorem Romanam iuventutem. Nolumus autem mereri eandem reprehensionem, quam, Kreppelio iudice [2], meruerunt ceteri complures horum carminum interpretes, (ne opus nostrum plane fiat inutile). „Mustert man die stattliche Reihe der Ausleger so freut man sich über vieles [3] aber bei dem allen hat man immer wieder die Frage auf den Lippen: warum wird nun gerade von dieser Stelle oder von jener Tatsache ausgegangen? warum muss der sich alles andere unterordnen? So ist est z. B. ungemein charakteristisch, wie Otto Ribbeck a.a.o. nur ein Paar flüchtige Blicke auf den Text zu werfen braucht um die gewichtigsten Einwände gegen die Erklärung

---

1) Cf. l.l, pag. 238 (10),

2) Cf. l.l. pag. 17 sq.

3) Enumerat enim ibidem maxime varias eorum virtutes vide l.l.

von Rauchenstein zu erhalten, die dieser doch, auf eine bestimmte Gruppe von Stellen gestützt, so nett und logisch entwickelt hatte."

Haec sunt verissima; atque idem prorsus saepissime iam expertus sum. Omni igitur opera cavendum esse duco, ne quid in nostra interpretatione prudentius quam aequius praetereamus, quod cum nostra explanatione conciliari non possit.

Nullam vero existimo interpretationem dari posse quae illi conditioni satisfaciat nisi simplicem immo simplicissimam quandam, — quam patrio sermone dicas: „een argelooze verklaring" [1]).

c. *De iis, qui ad verbum hanc partem interpretantur.*

Inter scriptores, quae tertii generis esse nobis videntur, non omnes utique idem sentiunt.

Primus nominandus est doctissimus vir Niemeyerus Mommseno vehementer in hac re adversatus [2]).

„Da ist zunächst zu sagen, dasz Juno auf diese Weise — vetando nempe quae vetuit — ihren mythischen Karakter völlig treu bleibt, sie häszt Troia mit unversöhnlichem Hasz, weil sie durch das Urteil des Paris tödtlich beleidigt ist. — Nicht also die Latiner sollen Troer, sondern die Troer Latiner werden, nicht ein neues Troia soll in Italien erstehen, sondern Rom, eine Latinische Stadt, mächtig durch Italische Tapferkeit. Worte welche ohne Zweifel dem Nationalstolz der Zeitgenossen des Dichters aus der Seele gesprochen waren." Existimat autem vir doctissimus Iunonem haec esse locutam non ante sed post Urbem Conditam, tum cum Romulus *consecratus est.* Et rectissime,

---

1) Cf. infra pag. 105 sqq.

2) Cf. l.l. pag. 70.

ni fallor. Efficitur enim luculenter ex poematis contextu:

»Martis equis Acheronta fugit
Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis."

Facit igitur Horatius deos quasi concilium habentes de *Quirino* in *caelum assumendo.* Ideoque inquit Niemeyerus, non potuit eos iubere dea condere Romam, „sondern nur den Wiederaufbau des alten in Asien verbieten". Non video quid obstet huic explicationi.

Erravit tamen ipse scriptor cum diceret: „Hält man mir entgegen dasz durch meine Auffassung die Rede der Juno oder wenigstens der Schlusz derselben jedes moralischen Inhalts entkleidet werde, so gebe ich diese Mangel durchaus zu, meine aber eben, dasz der Natur des Horaz das Moralpredigen nicht recht angemessen war." Nam etiamsi deae orationem pro fabula eleganter a poeta narrata habemus, dicendum tamen est, fabulam illam non temere hoc loco esse propositam. Maiore enim quam fortasse par est, ardore, dea vix professa amicitiam, Romae Urbis laudem grandiloque laudat, Romae gloriam maximam praedicit futuram. Atqui versus illi celeberrimi patriae amorem apud iuvenes Romanos ut excitarent certe fuerunt idonei. At contra, si ultima pars carminis tantum explicari posset ex ira illa antiqua, per me liceret: — μῦθος enim maneret μῦθος. Recte autem hic afferre posse videtur quae docuit nos doctissimus vir Zielinskius [1]: „dass die aristokratische Jugend eine korporative Organisation hatte, welche ein dreifaches Ziel verfolgte, ein pädagogisches, ein religiöses und ein politisches, dass die römischen Pagen, um sich den Nimbus eines religiösen Instituts zu verleihen, die alten mit der Gründung Roms zusammenhangenden trojanischen

1) Cf. Neue Jahrb. 1905.

Legenden neubelebten." Sic, quamquam de migratione sermo est nullus, ex historia tamen illustratur propositum Horatii. Monet iuvenes, ut ad suae patriae gloriam potius attendant non aliunde aliam quaerentes.

Doctissimus vir Iurenka [1]), prorsus sibi constans, hic quoque apud Graecos quaesivit exemplum sibique id invenisse est visus apud Homerum. „Mit V, 16 f.f. fühlen wir uns wieder ganz bei Homer zu Hause: ihm entlehnt Horaz für ein im Solde der Verherrlichung Roms stehendes Gemälde die Farben, auch was die behagliche Breite der Darstellung anlangt." Quibus verbis vir doctissimus non parum bilem movit Gnesottonis qui commentationem conscripsit contra eum [2]).

Deinde simplicem quandam tradit explicationem, quam vix puto cuiquam posse probari. Fuerunt, inquit, homines „welche in ihrer pietas so weit gingen, dasz sie die Wiederherstellung des „ähnlichen Troja" im Ernste aufs Tapet brachten." Quibus adversabantur alii Iunonis iram metuentes. His iterum respondebant illi „rebus nimium fidentes" Romam nulli periculo iam esse obnoxiam. „Horaz nun indem er sich der zweiten Partei anschlieszt, zeigt sich uns also als derjenige, welcher sich von den Fragen der Tagespolitik abwendet und den Mythen zusteuert, die übrigens als „heilige Geschichte" aufgefasst wurden. Mit

---

1) Cf. l.l. pag. 298.

2) »Le odi Romani di Orazio e la critica di Ugo Jurenka". Atti e memorie della Acc. in Padova 1900, pag. 105. »L'autore, inquit, dice che in questa digressione noi ci troviamo in casa d'Omero. Io penso invece che noi, leggendo quest'ode, ci troviamo in casa d'Omero presso a poco quanto leggendo l'Aiace di Sofocle od altra tragedia classica attinta alle fonti Omeriche! ..... volendo egli parlar d'Ilio, come lo avrebbe potuto senza ricordar cose d'Omero? Questo genere d'imitazione, non puo in modo alcuno, me lo perdoni l'Autore, intaccare il pregio dell' originalita." Recte, ut existimo.

der letzten Strophe gibt er ehrlich zu, dasz man fragen werde: „Ja wo ist denn da unser alter Horatius?" — Sequuntur, nimirum aliqua exempla Pindari!

„Non male" dicat quispiam. Verumtamen totum inventum praeterquam quod sine ullo argumento affirmatur veri non admodum videtur mihi simile. Horatius enim non is fuit qui frustra aliquid prohibere vellet quod iamdudum esset factum. Nam optime distinguenda est Iurenkae opinio a Mommseni, quam prorsus reiecit. Non agitur de transmigratione, non de sede imperii mutanda, sed de reparatione solum oppidi. Atqui Novum Ilion non solum exstabat, sed pie colebatur a Caesare et ab aliis familiis Troianis, quae, Dion. Hal. teste [1]) quinquaginta numero supererant. Qua de causa nil opus est ut credamus Iurenkae. Neque quod attinet ad ultimam stropham faciam cum eo libenter. Nimia me iudice levitate et facilitate interpretatus est subinde haec poemata.

d. *Scriptoris sententia.*

Uti saepius iam monuimus ipse Horatius indicavit suum propositum per haec verba: „virginibus puerisque canto". Ubi igitur clare propositum hoc persequitur poeta, eo quoque sensu intellegendum est carmen. Atqui — nam ex iis quae praecedunt iam satis apparet quid sentiamus, satisque, credo, ea argumentis demonstravimus — hac oda tertia sicuti prima et altera *monere et docere* vult Horatius. Ergo ob oculos id habendum est in explicatione. Quid igitur de toto carmine? De prima parte fuse iam diximus. Altera vero est fabula subnexa, elegantissime enuntiata, quae simul Romanorum originem, urbisque Romae celebrat gloriam. Singulis autem longae orationis partibus tectam subesse significationem nequaquam est probabile. Id neque in compluribus aliis

1) Cf. ib. I, 85.

Horatii carminibus fieri solet neque vulgo *requiritur* apud antiquos poetas. Docte enim vir doctissimus Pierson [1]) de Pindaro quidem agens haec habet: „niet in alle oden, die een sage te pas brengen springt de toepasselijkheid in het oog. Voor een deel ligt het daaraan dat P. wel eens afdwaalt — hij geeft het in de elfde Pythische ode toe — et paulo post: *Wij* [2]) verwachten, dat onderwerp en sage parallel loopen. De ouden, al klinkt het vreemd, hebben daaraan geen gebiedende behoefte. De dingen zijn voor hen met elkander verbonden, niet, zooals voor ons, door een nuchter gelijkteeken, maar als in een landschap door *eenheid van toon* [2]), misschien reeds door gewikkeld te zijn *in één nevel* [2])."

Mire extrema haec verba nostro carmini conveniunt. — Iam vero nulla superest prorsus difficultas sic spectantibus deae orationem. Relinquenda autem est opinio illa ab interpretibus sensim sine sensu inducta, quasi in oda hac recondita esset magna pars eorum, quae nobis fortuito, — ut ita dicam — historia quoque sunt tradita.

Versus 48—52 quomodo existimem cum ceteris cohaerere, iam supra annotavi [3]). In ultima vero stropha ideo eum Musam reprehendisse puto, quod in iuvenum existimatione magis extollere vellet quae in carmine continerentur. Clarissimis enim verbis — quare ‚iocose'? [4]) — quasi de „profanatione" sese accusat, quia „*magna* modis tenuavit parvis".

1) Hellas [2] pag. 111.

2) Litteris inclinatis imprimenda haec ego curavi.

3) Cf. pag. 100.

4) Cf. Seliger l.l. pag. 517.

CAPUT IV.

CARMEN IV.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
  Seu voce nunc mavis acuta,
    Seu fidibus citharaque Phoebi.

Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
  Errare per lucos, amoenae
    Quos et aquae subeunt et aurae.

Me fabulosae Volture in Appulo,
Altricis extra limina Apuliae
  Ludo fatigatumque sommo
    Fronde nova puerum palumbes

Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae
  Saltusque Bantinos et arvum
    Pingue tenent humilis Forenti,

Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
  Lauroque collataque myrto,
    Non sine dis animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos seu mihi frigidum
  Praeneste, seu Tibur supinum,
    Seu liquidae placuere Baiae.

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et urentes arenas
Litoris Assyrii viator,

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis almae. scimus ut impios
Titanas immanemque turmam,
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida bracchiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo:

Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax,

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno et
Nunquam humeris positurus arcum,

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
  Dumeta natalemque silvam,
    Delius et Patareus Apollo.

Vis consili expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
  In maius; idem odere vires
    Omne nefas animo moventes.

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum, notus et integrae
  Temptator Orion Dianae
    Virginea domitus sagitta;

Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
  Missos ad Orcum; nec peredit
    Impositam celer ignis Aetnam,

Incontinentis nec Tityi iecur
Reliquit ales, nequitiae additus
  Custos amatorem trecentae
    Pirithoum cohibent catenae.

Carmen quartum, quamquam longissimum, magnam disputandi materiam non praebet. Satis enim conveniunt inter se interpretes de vi ac significatione huius odae. Nonnulla tamen perpendenda nobis erunt.

Rectissime imprimis monuit Mommsenus [1]):

„Mehr als vielleicht sonst tritt hier die Person des Dichters in den Vordergrund", quibus verbis totius carminis indolem propriam designasse eum credo. Porro quae attendamus dignissima sunt haec in fine posita: „Die Ausführung im Einzelnen lässt die Erdenwelt fallen und ist rein mythologisch gehalten; die Gaia weint um ihre Riesensöhne ganz wie auf dem pergamenischen Fries [2])." Nimirum

---

1) Cf. l.l. pag. 30.

2) Cf. ibidem.

clarissimus vir in iis versibus nullo modo detegere potuit aliquam Augusti significationem, cogiturque igitur fateri quae supra descripsi. Quare autem, quaeso, alibi alia erant intellegenda seu potius addenda et supponenda, ubi vix agnoscebamus quidquam, nisi denuo puras fabulas?

§ 1. Cohaereatne carmen hoc cum carmine superiore.

Dissentiunt viri docti de quaestione cohaereatne prima stropha cum superioris carminis extrema, ubi Musam alloquitur Horatius, necne. Qui affirmant, ipsis utriusque strophae verbis permoventur, quae specie quidem non re inter se opponuntur. Sic Mommsenus [1]: Er selber ruft seine Muse am Schluss zu, den Olymp in Ruhe zu lassen. In dem folgenden Liede kommt sie denn auch vom Himmel herab." Quae ieiuna sane admodum mihi videntur. Neque ad refutanda ea necessaria existimo quae annotavit Seligerus [2]: „dasz die Muse im weitern Verlaufe des Gedichts dem eben erteilten Befehle ungehorsam wird und zwar nicht die Gespräche der Götter, wohl aber ihre Thaten zum Gegenstand ihres Gesanges macht." Etenim inde ab Homero communis est ille locus apud poetas. Invitant musam aliquam ad cantandum [3]. Atque unica ratio, cur nexum quaerant nonnulli est haec: quod omnium sex odarum Romanarum vinculum sic solum ostendi posse ducunt. Verumtamen non video, qua de causa tale quid requiratur? Requiriturne ad cyclum aliquem carminum agnoscendum, ut finis unius et alterius initium semper inter se excipiant?

---

1) Cf. l.l. pag. 30.

2) Cf. l.l. pag. 308. Verba quae laudavi ab ipso viro docto non ad refellendam Mommseni sententiam adhibita sunt, sed contra Acronem et Porphyrionem.

3) Mira sedulitate collegit locos complures Riednerus. Cf. l.l. pag. 10—19.

Ergo cum recentioribus multis primam hanc stropham quartae odae simpliciter interpretemur ut aliquod ‚μοι ἔννεπε μοῦσα' nulla ratione habita eorum quae praecedunt. Sic Rosenbergius: „Auch wird in dem was sie singen soll kein Bezug auf ihre frühere Tätigkeit genommen" [1]).

§ 2. Carminis significatio. Consentiunt fere inter se viri docti.

Iam in altera stropha poetico igne ardere se ostendit non naturae quidem aspectu sed recordatione. Verone an ficto hic nil refert. Sequitur notissima et lepidissima descriptio, qua narrat quomodo tutus a feris Musarum cura custoditus sit in frondibus „non sine dis animosus infans".

Quid haec omnia sibi volunt hoc loco? Merane reputanda est *digressio* haec prior pars poematis? Audiamus quid censeant viri docti.

Iuvatque paucissimis indicare quale dixerint varii odae esse argumentum [2]).

Mommsenus 1889 l.l. „Zartes Verhältniss zur Muse. Augustus Freund der Musen. Gigantenkampf".

Seligerus 1890 [3]) l.l. totum carmen habet pro primi carminis confirmatione. Pluribus enim inter se conveniunt. „Vis consili expers e. q. s. „Seitenstück vom maszlosen Streben vor dem er im ersten Liede warnt."

Niemeyerus 1892 l.l. plane cum Seligero se facere dicit.

---

1) l.l. pag. 15. Nihilominus ipse v. d. in editione sua alia olim docuit: ed. [3] 1898: Descende coelo: »mit Bezug auf den Schlusz von III. 3, wo sie den Reden der Götter unbefugt gelauscht hat".

2) Eos, qui ante Mommsenum scripserunt, pro proposito nostro omittimus.

3) Consulto annos ubique apposui quibus libri libellive varii conscripti sint.

Weidnerus 1896 — Auswahl für d. S. — carmen inscribit: „Macht der Musen".

Schimmelpfengius 1896 — editio — „Im Dienste der Musen".

Karstenius 1898 l.l. habet: „Quarta celebrat Musas earumque studia, quae consilii lenitatem praebent et sapientiam".

Rosenbergius 1898 — Editio 3 — triplex distinguit argumentum: *a.* Segen der Bildung.
b. Apollo auf Erden.
c. Im Banne der Musen.

Rosenbergius 1907 l.l. „es ist eine Befreiungsode, ein stürmischer Dank den die Seele des Dichters stammelt". Iam noverat vir doctus Domaszewskii inventum!

Jurenka 1898 l.l. adeo occupatur in quaerendis *Graecis exemplis* ut ipsum poetae propositum non indicet nisi: „in solcher Weise war unser Dichter bemüht seinen Landsleuten das Verständnis des Thebanischen Sängers zu entschliessen, oder, wenn man will, Griechische Dicht- und Denkweise auf italischen Boden zu verpflanzen." — Atque recte fortasse?

Leuchtenbergerus 1898 — Dispositionen — „Segen höherer Geistesbildung".

Mengius 1899 — In versione sua — interpretatur: „Der Musen Macht".

Pittaco 1901 — Ancora delle Odi Rom. — eandem ac Domaszewskius profert sententiam.

Chambalu 1902 — Schülerpraeparation — „Geistes- und Herzensbildung".

Domaszewskius l.l. 1904 non laudat nisi „Clementiam" Monumentum scilicet Ancyranum fideliter secutus!

Doerwaldius l.l. 1905 in toto carmine versatur „in einer idyllischen Wunderwelt" Ceterum laudare videtur „musisches Wesen" universe.

Hiemerus 1905 l.l. „Die Clementia des Augustus zu feiern". Quod scilicet deducitur ex Monumento Ancyrano.

Stemplingerus 1906 — Das Fortleben der Horazischen Lyrik seit der Renaissance — „Wer den Musen lieb, den entrücken sie in die Welt der Phantasie" [1]).

Loeschhornius 1907 l.l. facit cum Rosenbergio.

Nauckius-Weissenfelsius 1908 „Die Musen sind es die milde Weisheit verleihen".

Kiesslingius-Heinzius l.l. 1908 (item etiam multi) „Macht und Würde der Poesie" [2]).

Garnseyus 1910 l.l. „Its moral is that might plus right deserves to prevail and will prevail over mere might."

Wagenvoortius l.l. [3]) 1911. „Augustus vera immortalitate atque divinitate dignus: quippe cui Musae, in antro Pierio eum recreantes, lene dent consilium".

Ex qua enumeratione satis cuivis planum est *vocibus*, quibus utuntur multum distare inter se auctores, *re* autem minime. Unum alii, alii plura carminis dant argumenta. Singularum partium explicatio eodem ferme redit.

Karstenius l.l. rectissime hoc monuit: „Carmen specie tripartitum (1—36, 37—42, 42—finem) unitate non caret." Quamnam ipse vir doctissimus tueatur unitatem supra notavimus in brevi nostro conspectu. Omnibusque consideratis haec longe optima nobis est visa interpretatio. Quodnam proprium fuit Horatii propositum?

---

1) Haec quidem ad vs. 6 annotavit. Cetera vero cum his conveniunt, vide pag. 311 sqq.

2) Addit vero: »es wird klar dasz der Dichter die Poesie nur auffaszt als einen Teil der erleuchtenden göttlichen Kraft des λόγος."

3) Ut aemulum, qui fuit meus ante hos duos annos, hic saltem honoris causa nominem.

§ 3. Refelluntur ii, qui totum carmen stare perhibent in laude Augusti.

Nonnulli, uti patet, Augusti laudem suspicantur absconditam ubique in poemate. Etsi quis facere potest cum Seligero [1]), qui prudenter: „dasz Horaz dabei an Augustus gedacht hat, thut der Allgemeinen Gültigkeit keinen Abbruch", minime tamen ille insanire est dicendus, qui contendat Augustum quattuor quidem versibus celebrari, in reliquo vero carmine nullas prorsus agere partes.

Hiemerus [2]) antequam quidquam explicaverit hisce verbis exorditur: „Die Clementia des Augustus zu feiern war keine leichte Aufgabe."

„Wer auf Grausamkeiten zurückblicken konnte wie die Proscriptionen des zweiten Triumviratus oder die Menschenhekatombe zu Perusia: wer den Vater mit dem Sohne um das Leben würflen, wer die Wortführer aufständischer Soldaten spurlos verschwinden liess"; wer ... etc., etc. — Sufficiunt sane! — is clementiae causa vix apte laudabitur. Nihilominus ipse scriptor, qui sedulo principis facinora congessit, pieque (!) ea recenset, praeiudicata omnino opinione, sibimetipsi persuasit illius viri clementiam hoc carmine non posse non decantari.

Verumenimvero, — dicat aliquis — quando inter versus octoginta *quattuor* notantur versiculi, quibus Augustus *memoratur* — verbum ‚celebratur' consulto non usurpo — amplissima sane requiritur *φαντασία*, ut cetera omnia opinioni tuae accommodes!

At, respondet iam Hiemerus: id ipsum lepidissime Horatius tractavit! „Die angeführten Verhältnisse machten es doch rätlich gerade dieses Thema mit der grössten Zurückhaltung zu behandeln! Jedes aufdringlich lobende

---

1) Cf. l.l. pag. 308.

2) l.l. pag. 39.

Wort müsste verstimmend wirken, und die Erinnerung an jene Vorkommnisse wachrufen, die in schroffem Gegensatze zu dem Begriffe der Clementia standen.

Miraberis, quomodo saltum hunc letalem perfecerit poeta. Iam attende, simulque adverte mihi quousque in his odis explicandis prodiderint nonnulli viri docti illam admodum laudatam „voraussetzungslose Wissenschaft''. „Dieser Forderung des Taktes wurde Horaz gerecht indem er von allen Aüsserungen der Milde nur eine *einzige* [1]) herausgriff und erwähnte: jene Ansiedlung der Veteranen ..... Diese Beschränkung genügte Horaz noch nicht; er wies auch diesem nicht die ganze Ode, sondern nur die *erste Hälfte* zu, und selbst in dieser liess er ihn aüsserlich so zurücktreten, dass von *neun* Strophen den Thema nur eine *einzige* gewidmet wurde" (!).

Recte. Verum equidem eadem ratione eademque probabilitate eum scriptorem ostensurum credo sententiam suam, qui contendat: praecipue agi in hoc poemate de Pullia altrice [2]).

Sed seria serio! Si aspicimus ipsum carmen iam videmus eum inde a versu 21 ad Camenas se convertere voce „ *Vester*''.

»*Vester* Camenae *vester* in arduos etc. (4)

Et stropha, quae sequitur denuo incipit:

»*Vestris* amicum fontibus et choris
Versa 30. Utcumque mecum *vos* eritis".

1) Verba quaedam litteris inclinatis imprimenda ego curavi.

2) Cf. v. 10. — Siquidem de altrice quadam hic sermo est! Vexavit vexabitque nos versus ille. Huius quidem loci non esse reputo de hac re disputare. — Cf. Wagenvoortium l.l. pag. 100. — Laudare tamen lubet quae nuper lepidissime Garnseyus: »I can no more agree with the scholiast that Horace would have dragged in the name of his nurse »Pullie" here, than I could think that Wordsworth would talk of his nurse »Polly" in the Ode on the Intimations of Immortality." Quod ad lectionem »Apuliae" attinet, en viri docti sententiam: »must be rejected; it does not scan", l.l. pag. 227.

Atque sic procedit, premens de industria pronomen illud Musas designans. Tum cum pervenit ad versum 35 iterum:

»*Vos* Caesarem altum militia simul
Fessas cohortes addidit oppidis
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro."

Denique:

Vos bene consilium et datis et dato
gaudetis almae.

Quidni dicamus cum doctissimo Iurenka [1]): „Gerade in der Mitte tritt uns mit der vorhergehenden nur sehr äusserlich zusammengefügt (aptissime tamen: pronomine, ut supra dixi) die von Augustus handelnde Strophe entgegen. Es liegt offen zutage, dasz der Dichter mit ihr nur einen schuldigen Tribut den er nun einmal nicht verweigern durfte, so rasch als möglich abtragen wollte." Idque eo certius affirmandum mihi videtur, quo latius ac longius de seipso in priore parte disseruit.

Hoc velim perpendant adversarii nostri, ineptissimum certo certius fuisse, si poeta *de imperatore* dicturus quomodocumque, initium sumpsisset a fabula *de semetipso* narrata, quae non magis unquam ad Augustum quam ad Augusti sartorem pertinuit.

Atque pergit Iurenka: „Dennoch war aber der Gedanke an den aus dem Lärm des Krieges zur Ruhe der Musen heimgekehrten Fürsten der Kern, aus welchem der ganze übrige Teil des Gedichtes sich entwickelt hat." Prudentia maxima opus est in talibus iudiciis. Verum negare nolo id non solum fieri potuisse, sed et veri valde videri mihi simile. Occasionem igitur non praetermitto, quin ex ipsa hac doctrina confirmationem cogam eorum, quae supra dixi. Etenim si Augusti memor alteram carminis partem

1) Cf. l.l. pag. 300 sq.

conscribere *saltem coepit*, nec tamen verbo mentionem eius fecit, luce clarius apparet propositum eius *non* fuisse ut principis clementiam laudaret. Illis vero, qui denuo clam eum significari volunt ab Horatio, respondeo, impios Titanas [1]), totamque illam Giganteam turbam tam saepe coram auditoribus Romanis fuisse decantatam a poetis ut nemo merito exspectare posset, eos hoc loco descriptionem Augusti quaesituros esse sub exoletis illis imaginibus.

§ 4. Cantaveritne Clementiam poeta scriptoris sententia.

Fuitne autem Horatio consilium ut clementiam in universum decantaret? Non fuit credo consilium primarium. Medio carmine, uti iam vidimus, alloquitur Musas; carminis initio mira narrat de seipso. At quicumque novit Flacci carmina, eum et saepius laudasse Musas et seipsum pro egregio poeta habuisse minime ignorat.

Ergo non mirandum est nobis Musarum praestantiam *sua incolumitate* ostendere voluisse hominem illum, qui „veluti vanissimus mortalium" et „nimis magnifice de se sentiens" vocatus est nuper a Nabero v.c. [2]). Accedit quod totius carminis forma denotat animum ardentem, gratae recordationis plenum, beneficia expertum. Et quod maximum est, decebat utique *musarum sacerdotem*, non solum ad virtutem, ad constantiam excitare iuvenes, verum etiam docere eos ipsarum Musarum *cultum*, quanti hic esset habendus, quanta bona importaret. Quae ne riderent, exemplum Caesaris affert, qui post tot proelia et triumphos infra se non habuit tranquille colere Musas

»Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro."

1) Cf. v. 42 sqq.

2) Cf. l.l. pag. 23.

Magis quam unquam par est ut hoc loco poetico utatur genere dicendi. Ita saltem cogitasse opinor poetam. Easque, quibus uti volebat, formulas paratas ut plurimum invenit apud Alcmannum, Pindarum, alios. Negari enim non potest Iurenkam in hac oda rectissime indicasse apertissima ‚furti' indicia [1]).

Tandem cum pervenit ad summum Musarum donum quod est: leve consilium, pluribus disserit de eo, exempla multa memorans, „aus der bequemen Rüstkammer der Mythologie" — quae tamen, (auctore Iurenka), „von den Alten nicht als Gebilde der Phantasie, sondern als heilige Geschichte aufgefaszt wurden".

Quibus perpensis, statuimus hanc odam non magis quam primam vocari posse: „Augustus-ode", rectissime autem sic quae continentur in ea describi posse: „celebrat *Musas* earumque studia, quae concilii lenitatem praebent et sapientiam".

---

1) Vide etiam Arnoldium-Friesium l.l. pag. 107.

CAPUT V.

CARMEN V.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium
(Pro curia, inversique mores!)
Consenuit socerorum in armis,

Sub rege Medo Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahenti
Perniciem veniens n aevum,

Si non perires immiserabilis,
Captiva pubes. »Signa ego Punicis
Affixa delubris et arma
Militibus sine caede" dixit

»Derepta vidi, vidi ego civium
Retorta tergo bracchia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit: flagitio additis
Damnum. neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus;
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,

Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit, iners timuitque mortem.

Hic unde vitam sumeret inscius
Pacem duello miscuit? o pudor!
O magna Carthago probrosis
Altior Italiae ruinis!

·Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum,

Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.

Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

§ 1. De prima stropha.

Carminis quinti interpretatio varias movit quaestiones. Praecipue vero quaeritur quodnam sit vinculum admittendum inter utramque partem, a v. 1—12 : 12 — finem.

Antequam autem ad investigandas opiniones accedimus, tractanda est prima stropha. Quippe quae, si audias doctissimum virum Karstenium „cum reliquis tam male cohaereat, ut fuerint olim, qui eam abigendam (Gruppe) et in primam odam transponendam (Peerlkamp) esse crederent, neque hodie adhuc ullus interpres probabilem conexum protulit" [1]).

»Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens divus habebitur".

Ipsorum verborum sententia dubium non relinquit. Verumtamen aliqua sententiarum discrepantia annotanda est. „Credidimus" ab ipso Hiemero [2]) proponitur ut „in inchoativem Sinne zu nehmen. Wir haben es glauben gelernt, wir sind zu dem Glauben gekommen". Qua ratione nescio. Iurenka [3]) audacter, ut solet, neque illepide: „Die Erklärer mögen sagen was sie wollen, so begeht Horaz doch mit den Anfangsworten des fünften Gedichtes eine arge Gottlosigkeit, die zu dem frommen Tone der vorigen Gedichte im grossen Widerspruche steht. Also: im Himmel irgendwo, so glaubten wir, herrscht ein donnernder Iupiter: aber, was viel mehr ist, — als ein gegenwärtiger Gott wird Augustus gelten, wenn er einmal . . . .". Acutius autem quam verius haec esse dicta existimo.

Ipse enim poeta alio loco simili ratione, prorsus eandem enuntiavit sententiam, qua hi versiculi pulcherrime illustrantur. — L. I, XII Iovem allocutus, ait:

»Gentis humanae pater atque custos
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes".

---

1) Cf. l.l. pag. 160.

2) Cf. l.l. pag. 50.

3) Cf. l.l. pag. 302 sq.

»Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho
Sive subiectos orientis orae
Seras et Indos".

»Te *minor* latum reget aequus *orbem*
Tu gravi curru quatiens *Olympum*
Tu parum castis inimica mittas
Fulmina lucis".

Extrema praesertim stropha unicuique ut mihi videtur ostendit quid velit Horatius.

Duplex igitur, me iudice, habetur oppositio, seu ut verius dicam *comparatio*. 1. Credidimus — praesens habebitur.
2. Caelo tonantem — praesens divus.

Ergo cum Doerwaldio [1]) „Beide Gedanken stehen natürlich nicht im Gegensatz zu einander" (i. e. non quasi una alteram tollat, confirmant enim inter se) „das Perfect heiszt nicht: bisher und jetzt nicht mehr, sondern es stellt ein sicheres Ergebnis der Erfahrung an die Spitze".

Si recte doctissimum virum intellego haec docet: quemadmodum „credidimus semper, et etiam nunc credimus" (Karstenius [2])) Iovem in coelo regnare, eo quod „coelo tonantem" eum audivimus, sic quoque Augustum orbem regere — erit dicendum, eo quod populos fines orbis habitantes imperio subiecerit.

Cui explicationi, ut iam indicavi, hanc addere velim, quam Iurenka verbis quidem leviter attigit, dubito autem annon sibi rei quoque fuerit conscius; etenim nimis pressit sententiae „impietatem". ‚Credere' et 'praesens habere', ut puto, comparantur inter se. *Illud* dicit: auctoritate et ratiocinatione aliquid cognoscere; ‚*praesens habere*' autem:

---

1) l.l. pag. 241 (14).

2) l.l. pag. 160.

sensibus aliquid perspicere. Sic, ni fallor, verbum illud „credidimus" satis explicatum est [1]).

Deficere vero reverentiam erga deorum optimum maximum, quod admisit Iurenka neque ex loco quem attulimus, neque ipso ex contextu apparet. Mommsenus — postea videbimus quam inepte pro sua sententia — eandem opinionem tueri videtur [2]). „Die Eroberung Britanniens und Persiens wird hier bestimmt verheissen, ja erst wenn diese vollendet sein werden, wird Augustus ebenso als irdischer Gott sich offenbart haben wie Iupiter sich offenbart durch den Donner als den Herrn des Himmels, und wird er also als lebendiger Gott die Erde beherrschen."

§ 2. Qua ratione cohaereat stropha prima cum reliquo carmine.

Iam si quaeritur qua de causa hi versiculi huic odae praeponantur, alii aliter respondent.

Karstenius eam nullo artiore vinculo cum reliquis odae partibus conecti posse docuit. Atqui ita concludit: ipsa oda incipiebat olim a v. 5 : „Milesne Crassi" sqq. Cum reciperetur in corpusculum, praeposuit Horatius stropham intercalarem cuius initium de Iove hoc carmen conectit cum praecedenti in quo idem celebratur inde a versu 43."

Verum facilius id affirmatur quam probatur firmis argumentis! Veri tamen satis similem esse coniecturam non nego, dummodo concedatur Horatium *inepte et insulse* egisse. Dicunt enim integrum carmen iam fuisse paratum, deficiente tamen nexu cum superiore quarto. Accedit

---

1) Tale quid voluisse videtur mihi Porphyrio scholiasta. »Famae, inquit, tantum de Iovis magnitudine credidimus: quanto magis de Augusti credendum est, cuius virtutes et potentiam omnes *non audimus* sed *videmus*."

2) l.l. pag. 31.

poeta, unamque adicit stropham quam ingeniose admodum (!) ita composuit ut altera pars cum quarta, altera cum quinta oda cohaereat, nec praeterea inter se utraque nimis disiuncta sit. Nam [1]) „tum iuxta Iovem celebravit Augustum, ut in oda quarta et in aliis, sed fecit hoc eiusmodi verbis, ut per gravium Persarum commemorationem acquireretur aliqua transitio ad illorum captivos et ad reliquam odam, quae igitur nexu artificiali, laxo et tantum externo cum introitu est copulata." Postrema haec videntur mihi rectissima. Alia tamen via eodem perveniendum esse puto. Etenim si admittis quae tradidit vir doctus verbis modo laudatis, miraberis sane quod non singulis carminibus nostris introitum talem ‚fabricaverit' Horatius. Frustra enim tale quid quaeres intra quintum carmen atque sextum. Iamvero si post odas confectas utile duxisset vel necessarium vinculum conectens, inter quintam et sextam maxime illud requiri certo certius agnovisset.

Ne vero me male quis intellegat: non negavi nexum inter cetera exstare carmina et quidem eiusmodi nexum, qualem descripsit Karstenius, sed credo (quemadmodum pro prooemio alterius carminis explicavi [2]) —, carminis sequentis non quidem propositum sed formam ex illo „nexu" potius esse ortam quam contra nexum ex carmine. Facio igitur in hac re cum Iurenka [3]) „Bei Erwähnung der Perser (= Parther) v. 4 treten dem Dichter jene ehrvergessene Römer vor die Seele die dort bei den Parthern in der Ehe mit Barbarenweibern lebten e. q. s." Et quae de Augusto: „Abermals ist die gegebene Beziehung auf Augustus nur eine schuldige Abschlagszählung,

---

1) Cf. Karstenius l.l. pag. 167 sq.

2) Vide supra pag. 25 sq.

3) Cf. l.l. pag. 303.

die Horaz als solche fühlt und die ihn daher nur einen Augenblick beschäftigt."

Ut iam statim perspicuitatis causa addam, quae probabiliora mihi sunt visa, — totius carminis esse propositum credo: ut doceatur iuventus; argumentum vero: Romani nominis gloriam vel vitae esse anteponendam „*Aut vincere aut mori*". — Apte illustratur prima stropha, memorando imprimis quae monuit Karstenius [1]; „Cum Horatius hanc odam scribebat, nomen Romanum adhuc premebatur Crassianae cladis pudore". Nil igitur mirum poetam, cum in animo haberet ut iuventuti maximam et gloriae Romanae cupidinem et ignominiae horrorem incuteret, pro prooemio sumpsisse Octavianum Augustum procul dubio esse vindicaturum populo Romano totius orbis imperium; eosque eum prae ceteris subiecturum sibi hostes, qui civibus Romanis infamiam intulissent. — Adverte autem id, me iudice, non Principis sed propositi sui causa poetam dixisse. — Dein quo magis auditoribus suis persuadeat, ut animum suum doctrina hac penitus imbuant, duobus utitur exemplis, foedo altero atque ignominioso, altero autem glorioso. Illud depingit tristi colore, hoc extollit summo ardore. Atque, quantum ego capio, aptissime. —

§ 3. Quid velit ipsum carmen.

a. *De sententia ‚politica', quam vocant.*

Quae postquam exposui iam eorum tradenda et inquirenda est opinio, qui Mommsenum fere secuti contendunt versibus his praedicari expeditionis Parthicae necessitatem — verbo, qui, ut lepide Iurenka: „Politik wittern." — Ut eorum opinionem de prima stropha rite tractemus, opus est ut iam de totius carminis compositione dicamus.,

1) l.l. pag. 167.

postea redituri unde nunc digredimur [1]). Mitto doctrinam olim a Kiesslingio probatam a Karstenio l.l. doctissime refutatam, hodie ab ipso Heinzio [2]) in nova Kiesslingii commentarii editione, et a ceteris interpretibus relictam.

Teuberus [3]), qui paulo ante quam Mommsenus orationem suam habuit, commentationem conscripsit de his odis (quae tamen post illam tantum prodiit in lucem [4])) aptius quidem enuntiavit hanc opinionem; at pro munere nostro praestabit laudare verba viri praeclari Mommseni. Quae quamvis egregie sunt saepius perpensa et a multis reiecta, ab asseclis nonnullis adhuc propugnantur. Sic — ut honoris causa Britannum aliquem hominem — F. Gowius, qui poema vocat: „A defence of Augustus policy in abandoning, for the present, the Roman prisoners and standards held by the Parthians." Ea enim ad verba fere conveniunt cum hac Mommseni opinione: „Das fünfte Gedicht ist eine Vertheidigung des Augustus wegen seiner äusseren Politik. Das Brittanien, Germanien, und das Partherreich nicht sogleich oder auch überhaupt nicht zum Römischen Reich gekommen sind ist die Folge des Mordwerkes; Caesar hatte dies alles gewollt. Die öffentliche Meinung muss sich in dieser Richtung tief und mächtig geltend gemacht haben. Die unleugbare Unfertigkeit der Zustände besonders im Westen haben Augustus bestimmt das Caesarische Kriegsprogramm unverändert festzuhalten, und

---

1) Vide infra pag. 136.

2) En ipsa eius verba verba: »Aeusserlich durch die ersten Worte an die zweite Hälfte des vorigen Gedichtes angeschlossen knüpft die Ode ihrer Stimmung nach an das ‚dulce et decorum est' an und stellt dem Heldentod die Schmach desjenigen der ‚pacem duello miscuit' gegenüber. Schwerlich aber, wie Mommsen meint, um die Aufgabe des von der öffentlichen Meinung erwarteten Rachekriegs gegen die Parther zu rechtfertigen."

3) Neue Jahrb. 1889, pag. 426 sqq.

4) Cf. not. ipsius Fleckeisenii v. d. A°. 1890, pag. 309.

nirgends ist dies schärfer ausgesprochen als im Eingang unseres Gedichts: die Eroberung wird hier bestimmt verheiszen."

Hic rogare velim ante omnia: Horatiusne scripsit hoc poema an ipse Princeps? Omnino enim fingit vir doctissimus Horatium quasi praeconem fuisse qui versibus promulgaret Augusti decreta. — Sed ultra procedet: „Allein dieses Programm sollte wie dies ja auch sonst vorkommt, die Absichten seines Urhebers nicht offenbaren, sondern verdecken: und dass es keinen weiteren Zweck hatte, war durch den Krieg gegen Antonius in unbequemer Weise jedem der sehen wollte offenbart worden..... Dass nicht wenige, und vermüthlich eben die Thatkräftigsten und die treuesten Anhänger der neuen Monarchie (?) darüber stutzten ist zweifellos. — Haec iusto fortius affirmavit Mommsenus. Dubitare enim recte quis possit, memor eorum quae Cassius Dio hoc ipso anno facta esse tradidit [1]). *„τότε μὲν δὴ ταῦτα ὁ Αὔγουστος ἔπραξε καὶ ξώρμησε μὲν ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα ἐνδιέτριψεν. Ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαι οἱ ἐδόκουν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι ... ἦν".*

Ex quibus apparet Augusti firmum fuisse consilium ut Britanniam idque brevi subiceret. Atque anno sequente Augusto VIII, et Statilio Tauro consulibus, iterum, ut scribit Dio [2]) *„τόν τε Αὔγουστον ἐς τὴν Βρεττανίαν (ἐπειδὴ μὴ ἠθέλησαν ὁμολογῆσαι) στρατευσείοντα κάτεσχον οἵ τε Σάλασσοι, ἐπαναστάντες αὐτῷ"* e. q. s.

Atqui Britannia ab Horatio non minus memoratur quam Parthia. Ergo non habebant monarchiae fautores cur essent: „stutzig"! Sed prosequitur Mommsenus: „Diesen Tadlern antwortet hier der Dichter. Schon in dem grossen dritten

---

1) Cf. LIII, 22.

2) Ib. LIII, 25.

Gedicht findet sich die Wendung, dass bei Roms gewaltiger Machtstellung wenig darauf ankomme, ob die Entlaufenen irgendwo als Könige regierten, wo augenscheinlich der Armenische Artaxes gemeint is."

Qualis hercle interpretatio! horum nimirum versiculorum qui sunt in Iunonis oratione: „Dum longus inter saeviat Ilion Romamque pontus, qualibet exsules in parte regnanto beati".

Quae si a tirone esset prolata severissima reprehensione digna procul dubio reputaretur. At prudenter dicamus cum Niemeyero [1]) „ich denke das unglaubliche Misverständniss bedarf keiner weitern Widerlegung".

„Quandoque bonus dormitat Homerus". —

Ea vero quae sequuntur iam attente sunt consideranda. „Zehntausend Römische Bürger waren bei der Katastrophe von Carrae in parthischen Gefangenschaft gerathen: als 24 Jahre später Aug. nach Syrien kam, muszten deren nicht wenige noch am Leben sein, und begreiflicherweise machten die Kriegslustigen geltend, das die Römische Ehre ihre Befreiung verlange". — Haec igitur tribus prioribus strophis continentur. — „Darauf antwortet der Dichter mit einer dem Regulus in den Mund gelegten Ausführung: der gefangene Römer sei kein Römer mehr und der Befreiung nicht wert. Der schroffe Uebergang von dem Kriegsprogramm zu dieser Abweisung derselben zeigt klar genug deren logische und praktische Bedenklichkeit, aber die Intention des regierungsfreundlichen Dichters tritt darum nur um so deutlicher zu Tage".

Quae cum legeris, si non simul prae manu habeas ipsum Horatii poema, veri admodum similia tibi videbuntur. Verumtamen minime geniuum cum iis quadrant quae a poeta planissime enuntiantur. Nam tota vis argumenti in

---

1) l.l. pag. 72.

eo est quod perhibet doctissimus vir, imprimis carmen hoc penitus esse politicum, dein de quaestione Parthica alia in introitu alia in Reguli oratione doceri. Atqui nec unum nec alterum nobis probatur.

Immo utrumque facile refutatur. Ergo reiciendum est inventum. Quod attinet ad primum illud: rectissime Karstenius [1]) hoc *δίλημμα* opposuit Mommseno: Novit Horatius „programma" illud simulatum esse vel ignoravit. „Si ignoravit impudenter ei verba dederunt Maecenas et Augustus cuius causam defendebat, si novit, quod paene necessarium est in patrono aulico, ipse mentitus est grandiloquis versibus". Hoc ultimum si quis quin admittat non multum dubitat, quia in rebus politicis non raro id fieri existimat, melius persuadebo ei monstrando quam ineptissime Horatius politici hic munere functurus fuisset. Inspiciamus ipsum carmen.

In primis strophis secundum Mommsenum et asseclas eius, eorum Horatius tradit desideria, qui liberari iubeant captivos. Iamvero id fieri potest vel consanguineorum miseratione, ut opinati sunt Teuberus [2]) et Friedrichius [3]) vel patriae honoris vindicandi causa, ut Mommsenus.

Quidquid est: difficillime eruitur talis sententia ex verissimis verbis poematis. Quid enim maxime, quid unice premitur? Nec patriae infamia, nec captivorum sors miseranda, verum vividissimo colore ipsorum illustratur *scelus probrosum*.

»Milesne Crassi coniuge *barbara*
Turpis maritus vixit et *hostium*
Pro curia *inversique mores!* —
Consenuit socerorum in *armis*

---

1) Cf. l.l. pag. 164, in annotatione.

2) l.l. pag. 428.

3) l.l. pag. 164.

Sub rege Medo Marsus et Apulus
Anciliorum et *nominis* et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae
Incolumi Iove et urbe Roma!"

Nonne singula fere verba ignominiae notam indignis illis inurunt atque imprimunt?

Quid igitur descripsit poeta nisi eorum *gravem culpam?* Sed consanguinei id certe non fecissent; ii vero, qui Mommseno auctore proclamant „dass die Ehre Roms ihre Befreiung verlange" miris sane verbis uterentur, et admodum praeterea obscuris. Non exprobrantur ea quae Roma adversus milites fecit, sed *quae milites* adversus *Romam*, idque clarissime, ut opinor.

b. *De altera carminis parte.*

De primis strophis hactenus. In altera parte docet Mommsenus responderi a poeta vel si vis a principe. „Mit einer dem Regulus in den Mund gelegten Ausführung, der gefangene Römer sei kein Römer mehr und der Befreiung nicht werth". At, ut mihi videtur, hoc satis iam enuntiatum fuit prioribus strophis atque quae Regulus:

»Signa ego Punicis
Affixa delubris et arma
Militibus sine caede, dixit
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo bracchia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro."

eadem fere, sed ne adeo quidem ignominiosa sunt atque quae supra laudavi verba [1]). Contra suo ipsius exemplo

1) Idem obicere velim d.v. Garnseyo, qui l.l. annotavit ad hos versus: »Every word burns with intense fire of meaning". Quae verba libentissime mea facerem si applicarentur *alteri* atque *tertiae* strophis.

ostendebat, — quamquam verbis fortasse negabat — captivum Romanum, verum Romanum posse manere ingenio et animo; in prioribus vero strophis lucidissime demonstratum erat captivos Parthicos viris Romanis indignissimos se praebere.

Dein tota illa pulcherrima oratio Reguli inutile ne dicam stolidum aliquid efficitur illa interpretatione. Etenim poetae sit propositum oportet ut Romani honoris vindicibus persuadeat non esse pugnandum contra Parthos. Qua de causa ostendit mihi captivos Romanos non esse Romanos, „quasi vero, inquit Karstenius, illi captivi, qui superessent, impedimento essent, quominus Parthi punirentur et devincerentur. Quid responderi potuit ineptius hominibus non stupidis, sed rerum publicarum usu versutis et callidis".

Credo equidem Mommsenum cum aliam illam suae simillimam doctrinam de cognatis et amicis conquerentibus vitare vellet, non prorsus tamen eam vitasse in expositione. Nam qui pugnam cum Parthis volebant non tam captivorum liberationem quam Romae gloriam spectabant. Adeo commixtae sunt inter se duae illae sententiae, quarum utramque sedulo impugnavit Karstenius, ut doctissimus vir Rosenbergius in commentatione saepius laudata [1]) aliam ab alia non recte distinxerit. Ipse enim affert contra Mommsenum quae Karstenius egregie adduxit ut refutaret Friedrichium huiusque asseclas. Vir Germanus non nominavit virum Batavum, attamen ad verba fere exscripsit quae ille scripserat l.l. Advertendum autem duco Mommsenum de industria addidisse „dass die Römische Ehre ihre Befreiung verlange". Non igitur tanquam miseros homines, sed quemadmodum hostes ab hostibus signa atque aquilas repetere solent, ita illi quos finxit vir doctissimus viri Romani

1) Pag. 8—9.

captivos reduci in patriam iubent. Neque cadit in Mommsenum rhetorica Rosenbergii interrogatio [1]): „Was forderte man denn in Rom? Etwa Auslösung der Gefangenen, die damals schon ungefähr ein Vierteljahrhundert im Partherreiche lebten, sich Frauen genommen, kinder gezeugt und teilweise an die Grensmarken des Lebens gelangt waren" [2]). „Ist denn später, als die Feldzeichen nun werklich zurückgegeben wurden, ist denn da von diesen Gefangenen die Rede? Etwa in dem Testamente des Augustus [3]) dass doch die kleinste Geldsumme nicht zu nennen vergist?"

Prudentissime quidem Mommsenus ipsam hanc reprehensionem effugit verbis quae supra attuli.

Reicienda tamen eius doctrina nostram odam esse politicam atque in duas parter intes se oppositas divisam. *In uno enim et altera idem*, *me iudice*, *persequitur argumentum Horatius*, uti mox ostendemus.

Ipse vir doctissimus Sabbadinius [4]) item maximam agnovit difficultatem in iungendis partibus (1—12; 13—56) seu verius in vinculo inveniendo. Novam excogitavit rei solvendae rationem, quam modeste admodum protulit: „Il nesso delle due parti di quest' ode e sempre una sfinge. Tentiamo". Nos quidem audiemus. „I v.v. 1—12 hanna la stessa intonazione e svilluppano gli stessi pensieri e sentimenti

---

1) Cf. ibidem.

2) Vide Karstenium l.l. pag. 165: »concedo post XXVII annos etiam haud paucos captivos superstites fuisse; at vero cum hi senes facti quinquagenarii fere, uxores interea duxissent, liberos procreassent e.q.s."

3) Item apud Karstenium l.l.: »pleraque testimonia tacent de captivis imprimis Monumentum Ancyranum, ubi eorum mentio ab Augusto non esset omissa, si in eorum receptione aliqua fuisset gloriandi aut laetandi materia".

4) Cf. Rivista di Filologia ed Istruzione Classica. Anno XXX 1902 pag. 446.

di I. 35, 29—40 e in entrambi i luoghi bisognera scorgere il desiderio di cancellare l'onta publica". Quae libenter concedimus, quamquam non intellego cur hoc memoraverit scriptor hoc loco. Desiderium enim illud non tam apparet ex comparatis his locis, quam sua sponte ex ipsis versibus. Forma illa interrogationis, atque magis fortasse conquestionis exclamatio:

»Pro curia inversique mores!"

animum ostendit poetae infamiam istam indigne ferentem. Sed prosequitur interpres: „Percio: 1—12 Giove regna in cielo (e ha a cuore le cose nostre) e Augusto in terra: e intanto resta invendicata l'onta di Carre, che si perpetua nei soldati romani, schiavi del nemico". Ad quae idem ferme respondere possum: nullo modo premi captivorum *servitutem* apud hostes sed eorum *ignaviam* rerumque Romanarum *oblivionem*

»Anciliorum et nominis et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae".

Dein nullum invenitur verbum in tribus his strophis, quod *ipsius urbis* indicet infamiam. Extremus enim versiculus

»Incolumi Iove et urbe Roma"

certissime additur ut augeatur eorum culpa. Si ipsa Roma esset deleta, si Iuppiter Capitolinus ex arce sua esset deiectus, utique, ait poeta, intellegeremus exsules in regione longinqua uxores ducere barbaras sed Crassi milites: „incolumi Iove et urbe Roma" iam non ut *servi* „Schiavi del nemico" sed turpes *mariti* in socerorum armis consenuerunt. Quibus quaeso verbis clarius suam sententiam enuntiare poterat Horatius? Neque tam perperam, ut credo, esset unquam intellectus hic locus, nisi homines alia quocumque modo ex eo haurire cupientes claritatem obscurassent.

Confirmatur enim opinio nostra versibus proxime sequentibus „hoc caverat mens provida, et q. s." uti videbimus. Sed audiamus virum doctissimum Sabbadinium qui sic pergit: „13—56 Ma (qui il poeta cambia tono) quei soldati potevano ben evitare di perpetuar l'onta, seguendo l'esempio di Regulo". In quibus aliqua sunt verissima, ut opinor, quae tamen rectius potuerunt promulgari. Quid enim illud „seguendo l'esempio di Regulo?" Nimis sane generaliter tale quid dicitur, varieque a variis potest explicari. Primum vero quod habetur „potevano ben evitare di perpetuar l'onta" statim admitto si concedas mihi legendum esse ante omnia: di perpetuar l'onta sua, dein uti luce clarius patet (!) per hanc suam infamiam patriae quoque „onta" — nam eorum ignominia in ipsa iniuria patriae allata consistit. — Hoc autem non *dixit* Horatius. Cum prima igitur Sabbadinii expositionis parte nequaquam facere possum, cum altera quatenus dixi, „nelle tre prime strophe si augura la rivincita sui Parti, nelle altre contrappone alla viltà dei prigionieri l'eroismo di Regulo". Dicendum fuit quoque: nelle 3 pr. str. proppone la viltà dei prigionieri nelle altre — e. q. s.

Iurenka [1]), qui solet in singulis odis explicandis cum ingeniose aliqua in lucem proferre laude dignissima, tum aliqua omnino repudianda, hic quoque sibi constat. Reicit imprimis: „die Politik". — Dein sententiam profert Teuberi: „Regulus habe verhindern wollen, dasz überhaupt je in Rom die Ansicht zur Geltung gelange, dasz man gefangene Römische Soldate noch für Römer halten könne. Daher habe er die Auslösung derselben aus Staatsmitteln widerraten". Quae si Reguli orationem spectas solam, vera sunt. Timendum autem ne hoc argumentum dum consideres, ad

1) Vide l.l. pag. 302 sqq.

primam quoque partem odae illud referas, et sic (quod se velle Iurenka apertis verbis negavit) sententiam politicam his versiculis supponas.

Sed vide iam quam insulse clarissimus scriptor vinculum illud nectat, de quo disputetur. „Unbesorgt wegen der Kluft, welche die erste Strophe von der zweiten trennt geht er sodann auf neuartige Gedanken über. Aber auch die nächsten Gedanken gestalten ihm kein längeres Verweilen. Aus dem unheimlichen Fremdland eilt er in jene würzige Bergluft der Heimat (Marsus et Apulus), in welcher die rusticorum mascula militum proles erwächst; dann in die Hauptstadt, endlich in das Reich der heimischen Geschichte, wo er am längsten verweilt". Quis unquam talia probabit? Necesse ferme non duco pluribus haec refellere. Aperte enim falsa sunt. Cogitavitne Horatius, ut mittam cetera, de illa „würzige Bergluft der Heimat", cum diceret

»Sub rege Medo Marsus et Apulus
Anciliorum et q. s.?"

Hac arte prae ceteris pollet vir doctissimus, ipsas difficultates callide evitandi. In fine expositionis suae addit: „Es musz übrigens zugegeben werden, das sich Horaz auf der Höhe erhält. Nur ganz leise wecken die letzten vier Strophen, die Erinnerung an .... die „dulces latebrae" seiner grünen Einsamkeit. An Horaz werden wir um so mehr erinnert, als die letzte Strophe, wie Peerlkamp gelehrt ausführt auf Regulus eigentlich gar nicht passt".

Nescio annon Peerlkampius id unquam fecerit. Nam in editione eius frustra talia quaesivi. Atque mihi potius inepte quam erudite videntur eadem dicta esse.

»Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
  Tendens Venafranos in agros
    Aut Lacedaemonium Tarentum".

Nisi quis sit prorsus obcaecatus, intelleget hic similitudine usum esse Horatium, neque credo eum dicere voluisse Atilium Regulum Venafranos in agros quietis remissionisque causa abiisse unquam. Hac ratione utique „passt sie eigentlich gar nicht auf Regulus"! Atque hactenus Iurenka.

Schefflerus [1]) elegantissime quidem exponit totum carmen, verum videtur infercire illam sententiam non enuntiatam de redimendis captivis.

„Sollen wir so eid- und pflichtvergessene Römer aus ihrer selbstgewählten Gefangenschaft erlösen? Sollen wir sie wohl gar loskaufen unter Schmach und Busse? Nimmermehr! Was tat der gefangene Regulus?" Tunc solum addendum esse aliquid iis, quae praesto sunt existimo, cum ipsa verba rectam significationem non praebent. Quod minime verum est in quinta oda.

§ 4. Scriptoris sententia.

a. *De prima stropha.*

Dubium tantum esse potest, cohaereatne prima stropha arte cum ceteris. — Iam enim redeundum est. — In opinionibus pro viribus supra impugnatis aperte contradicere sibimetipsi poetam ait Rosenbergius. Etenim: „Der Dichter kann aber auch gar nicht für eine Hinausschiebung des Krieges gegen die Parthen eingetreten sein. Es wäre doch sicherlich sehr eigenartig, wenn der „höfische" Dichter die Anerkennung des Augustus als Iupiter auf Erden, noch auf einen fernen Termin hinausschieben wollte".

---

1) Vide l.l. ad carmen quintum.

At dicat quispiam: haec dicuntur ab illis, qui captivorum liberationem, seu bellum Parthicum desiderant, non ab ipso poeta. Et prudenter sane. In eum enim non caderet Rosenbergii animadversio [1]). Sed ipse Mommsenus plane dixit: „die Eroberung wird hier bestimmt verheiszen", nempe ab Horatio (Augusto) sicuti iam vidimus. Si Mommseni igitur explicatio admittitur, quid vult sibi stropha prima? Nil potest spectare nisi fraudem. Contra ipsum Friedrichius [2]) ostendit Horatium voluisse proelium cum Parthis, quod certo veri est magis simile. Saepius enim hac ratione memoravit illos populi hostes in ipsis his odis. Ideo vero non cogimur concludere eum prima stropha Augustum incitare voluisse. Mihi enim, ut supra exposui, est persuasum „èt poetam èt ceteros Romani honoris vindices minime dubitasse quin Augustus bellum illud gesturus esset postea [3]). Reliquum est igitur, ut admittamus quattuor priores versiculos *prooemii instar* esse. Atque vix rectiorem inveneris interpretationem quam Gebhardii [4]): „Noch donnert Iuppiter der Römergott im Himmel; als sein Stellvertreter auf Erden bereitet Augustus Sühnekriege gegen die Feinde des römischen Namens im fernen Norden und Osten vor".

b. *De reliquo carmine.*

Porro in reliqua carminis parte hoc praecipue ob oculos habendum est, quod antea leviter attigimus. Duobus utitur exemplis Horatius ut iuventutem doceat Romanum illud *ἀξίωμα*: ‚aut vincere aut mori', seu pro nomine Romano nil non esse tolerandum.

---

1) Supra laudata pag. 131—132.

2) l.l. pag. 141.

3) In hac re luculentissimus: Gardthausenus Aug, I. 463.

4) l.l. ad carm. III, 5.

Quorum exemplorum alterum alteri quidem opponitur utrumque tamen eidem inserviunt proposito, recteque excipiunt inter se. A versu 5—12 narrantur probrosa et indigna — tum sequitur:

»Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes".

Sedulo haec sunt perpendenda, quia postquam prioris partis sententiam satis investigavimus, in his iam latet difficultas. Singula verba inspicienda sunt [1]).

Hoc Isti verbo auctores a nobis impugnati multa insimularunt. Uti vidimus, nil premitur in iis, quae praecedunt nisi Romanorum captivorum facta probrosa. Ergo probrosa *haec* cavere voluit Regulus.

Caverat mens *provida.* Duplex inest in his significatio. Prima: caverat Regulus ne hoc fieret *sua aetate* apud Carthaginienses — Describit quidem suorum militum captivitatem

»retorta tergo bracchia libero"

nondum vero turpes erant mariti et quod maius est: desiderium Reguli erat ut *morerentur* omnes antequam talia fierent:

»Si non periret immiserabilis".

Altera significatio: suo hoc exemplo, mente provida cavere volebat ne *in posterum* unquam tale quid accideret. Quod certo fieret nisi dissentiret condicionibus foedis. Quare erant foedae hae condiciones? Historiarum scriptores hodie

---

1) Differunt quidem inter se editiones variae — Peerlkampii, Bentleii, aliorum, legentes: trahentis — trahenti; exemplo — exempli. Nobis autem de significatione tantum est disputandum.

ad unum ferme omnes reiciunt integram fabulam de legatione Reguli, minime consentiente Tullio [1]) qui postquam de Ulixe dixit: „Sed omittamus, inquit, et fabulas et externa: ad rem factam nostraque veniamus. — M. Attilius Regulus e. q. s.".

Maxime igitur videtur mihi ad ipsa poetae verba esse attendendum, quaerendumque quales ipse condiciones intellexerit: Clarus autem orationis contextus haec credo profert:

„Dissentio condicionibus quia sunt foedae. Recuperari enim captivos est foedum: nam pereant necesse est". Videtur ergo Horatius credidisse captivos Romanos, nisi redderentur Carthaginienses captivi, quos retinerent, interfectum iri ab hostibus. Verene an falso nihil refert. Hoc autem illustrat omnia. Premendus est versiculus:

»Si non periret immiserabilis captiva pubes".

Morti tradendus est captivus Romanus: idque non solum docetur altera parte, sed priore maxima continentur argumenta extremae poenae necessitatem comprobantia. „Solche Soldaten, inquit Rosenbergius [2]), kann Rom für alle Zeiten nie mehr dulden. Das Ehrengericht, dass das Urtheil über sie ausspricht hält Horaz-Regulus".

Multum denuo, credo, proderit proposito nostro inspicere Ciceronis libros „de Officiis". Hic enim in fine multa tradidit de Regulo, multumque extollit eius virtutem [3]). „Octo hominum milia tenebat Hannibal. Eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris, *aut vincere aut emori*. Sic honestatis comparatione ea, quae videntur utilia, vincuntur .... Perspicuum est enim, quae timido fiant animo

---

1) Off. III, 26, 991.

2) l.l. pag. 9.

3) Off. III. 32, 114.

(quale fuisset Reguli factum si de captivis quod sibi opus esse videretur, non quod reipublicae censuisset), non esse utilia, quia sunt flagitiosa, *foeda, turpia*".

Si Tullius in tali argumentationis ordine, èt Reguli factum, èt Senatus adversus Hannibalem constantiam atque responsum simul commemorat, contraria vero verbis „foeda, turpia" [1]) castigat, non miror utique quod poeta eandem adhibuit argumentationem, ut illud: „aut vincere aut emori" iuventutem doceret. Senatus autem sententia, qua Hannibalis captivi morte voventur, ab Horatio tribuitur Regulo.

Quamquam in fabula illa vulgo non traditur in Romanos a Carthaginiensibus supplicium fuisse decretum, nisi Regulus efficeret ut ipsorum captivi redderentur

»Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum
Si non periret immiserabilis —
Captiva pubes"

— „ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori" (Cicero).

Dein Horatius Reguli exemplum honestissimum latius describit. Primum in parte reliqua orationis fusius exponit rationes, ob quas morte mulctandi non redimendi sint milites captivi — idque venustissime et aptissime —

»Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit flagitio additis
Damnum! e. q. s.".

Tandem postremis quattuor strophis poetice depingit atque extollit ipsum doctrinae suae exemplar.

De his vero inter scriptores nulla est dissensio. Qua de causa licet ea mittere.

---

1) Isdem plane quibus utitur Horatius.

CAPUT VI.

CARMEN VI.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
  Aedesque labentes deorum et
    Foeda nigro simulacra fumo.

Dis te minorem quod geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum:
  Di multa neglecti dederunt
    Hesperiae mala luctuosae.

Iam bis Monaeses, et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
  Nostros et adiecisse praedam
    Torquibus exiguis renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops,
  Hic classe formidatus, ille
    Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos:
  Hoc fonte derivata clades
    In patriam populumque fluxit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo: et fingitur artibus
  Iam nunc et incestos amores
    De tenero meditatur ungui.

Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
  Cui donet intermissa [1]) raptim
    Gaudia luminibus remotis,

1) Sic, cum Codd. E A, legendum esse opinor.

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum,

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glaebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Pervenimus ad ultimam huius Cycli odam. De qua non longa erit disputatio.

§ 1. Quid significent duae primae strophae.

Mommsenus [1]) — quem Karstenius hac in re magnopere laudat [2]) — haec censuit, „Das sechste und letzte Gedicht erläutert sich selbst. Es ist einer der charakteristischen Züge der Augusteischen Staatsreform, dasz ihr Fundament die restaurirte Orthodoxie war. Dies nimmt der Dichter auf. Der Römer herrscht weil er gottesfürchtig ist.

»Dis te minorem quod geris imperas"

Alles Unheil, welches die Ausländer über Rom gebracht haben, oder fast gebracht hätten .... geht zurück auf die Vernachlässungen der Tempel".

---

1) Cf. l.l. pag. 33.

2) Cf. l.l. pag. 146.

Postrema verba vix recte dicta existimo. Poenae enim quas poeta enumerat non statim memorantur post primam stropham, ubi de templis reficiendis est sermo. Excipiunt autem gravissima haec:

»Dis te minorem quod geris, imperas
Hinc omne principium huc refer exitum
Di multa *neglecti* dederunt,
Hesperiae mala luctuosae."

Ne autem haec nimis argute animadversa esse existimes. Consulto enim dico Romanos non solum neglegentes esse in templis aedificandis atque conservandis. Etenim apertis verbis dixit Horatius deorum *cultum latius* patere.

»Hinc *omne* principium, huc refer exitum."

Quibus verbis profitetur ipsam quoque vitam privatam religione comprehendi, et religione *imbui* debere. Quare in explicatione Mommsenus *ordinem* stropharum inverterit non intellego.

Templorum enim refectio non est nisi indicium ac signum pietatis non ipsa pietas.

Haec si praetermittis in interpretatione vix invenies vinculum inter varias odae partes, uti mox videbimus.

§ 2. Celebreturne hoc carmine Lex quam vocant de maritandis ordinibus.

Verumtamen recte prosequitur vir celeberrimus: „Aus dem Mangel der Gottesfurcht folgt weiter der Verfall der Sitten, namentlich der Frauenzucht; unsere Väter waren nicht was unsere Ahnen, und slechter als sie werden wir noch erbärmlicheres Geschlecht erzeugen". —

Hactenus quis quidquam infitietur?

„Dies Gedicht ist die poetische Verklärung der Sittenreform zu welchen Augustus eben damals die ersten Schritten

gethan hatte und der er von da an sein Leben gewidmet hat. Dass er unmittelbar nach seiner Rückkehr sämmtliche Tempel in Rom, zwei und achtzig an der Zahl, einer umfassenden Restauration unterwarf, erzählt er selbst in seinem Rechenschaftsbericht: und obwohl sein Ehebruchgezetz sich nicht mit Bestimmtheit datiren lässt, so kann eben nach den Äusserungen des Dichters daran kein Zweifel sein, dass wenn nicht dieses selbst, doch die Vorbereitungen dazu in dieselbe Epoche fallen."

Iam rediit vir doctissimus ad opinionem illam sibi carissimam: carmina haec esse praeconis monarchiae. Quam penitus persuasum sibi esset hanc verissimam esse sententiam hic quoque luculenter ostendit. Etenim non solum ex eo quod Horatius templa refecta memorat, concludit eum celebrasse Augusti religionem [1]), sed praeterea ex verbis Horatianis de morum pravitate argumentum petit, quo demonstretur Augustum legem de maritandis ordinibus nondum quidem rogasse, eo tamen anno iam in animo habuisse ut rogaret [2]). Non igitur miremur quod viro doctissimo in hac causa adversati sunt nonnulli viri docti. Quorum primus utique fuit Niemeyerus. Audiamus quid sit quo offendatur [3]).

„Wenn, wie doch wohl nicht zu bezweifeln ist, die sechs ersten Oden einen zusammengehörigen Cyclus von Liedern bilden, so müssen sie vor 734, in welchem Jahre die Parther die Feldzeichen zurückgaben geschrieben sein; die Ehegesetze des Augustus aber fallen erst in 736, und auf sie kann also in diesen Oden kein Bezug genommen sein."

---

1) Constat enim ex historia templa ab eo iisdem temporibus esse aedificata.

2) »So kann eben nach den Äusserungen des Dichters daran kein Zweifel sein" e. q. s. ib.

3) Vide l.l. pag. 73.

At sententia haec non ab omni parte probanda mihi videtur. Primum quod dicit „wie doch wohl nicht zu bezweiflen ist'', certe iusto fortius sic affirmavit vir doctus. Nam non defuerunt scriptores, qui cycli vinculum omnino ferendum et admittendum esse negarent. De quibus mox pauca. At praeterea id quod animadvertit non cadit in Mommsenum, qui nequaquam legem illam iam latam fuisse contendit. Ostendendum ei erat certo fundamento carere, quae affirmavit Mommsenus de huius legis *praeparatione*. Sed sic pergit: „Diese Deduction würde natürlich hinfällig sein, wenn der Inhalt des sechsten Gedichtes ihr widerspräche. Aber das thut er nicht. Horatius schildert in ihm die Sittenverderbnis, die Zerrütung des ehelichen Lebens mit den schwärzesten Farben und schliesst mit den völlig pessimistischen Versen:

»Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem."

Ist es denkbar, dass Horaz diese Versen geschrieben hat zur Empfehlung, zur poetischen Verklärung der von dem Fürsten unternommenen oder geplanten Sittenreform? Hätte das nicht geheiszen ihr gänzliche Unwirksamkeit und Erfolglosigkeit voraussagen?" Acute sane postrema haec protulit scriptor. Miror autem eum versum quendam maxime sententiam suam confirmantem non memorasse. Equidem enim crediderim ineptissime a ‚praecone' celebrari novarum legum auctorem, versiculo hoc tristissimo:

»Damnosa quid non imminuit dies?"

Huius significatio, subiunctis versibus quos supra laudavit Niemeyerus, dubium nihil relinquit. Rectissime quidem Karstenius [1]: „In Pericle laudatum est, quod efficaci

---

1) l.l. pag. 147.

eloquentia *τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖσ ἀκουομένοισ*[1]). Sic Horatius suavioribus carminibus 3. 4. 5. hoc subiungens „aculeos reliquit in animis eorum a quibus esset auditus". Haec profecto intellego. Nonne vero ex ipsis his efficitur *excitare* voluisse poetam quos alloquitur virgines puerosque? Minime enim est *laudantis* novas leges *desperare de legum efficacia*, vel saltem tristissime desperantem se fingere, praedicereque

»progeniem vitiosiorem."

Remedia adhibita quasi nihili sint habenda!

Magis quam Niemeyerus, quem modo audivimus, pressit hoc Rosenbergius[2]). „Wie hätte in einem „höfischen", in einem Festliede von den ungesühnten Niederlagen der Römer bei den Parthen, von Dakern und Aethiopiern in dieser anreizenden Weise die Rede sein können, wie kann den freudigen Hoffnungen, dem Jubel über die Erneuerung Roms der Aussdruck der Hoffnungslosigkeit folgen?"

Quibus addidit idem vir doctissimus: — acerrime enim ut suam defendat, Mommseni impugnat opinionem —: „Wie kann der Dichter der Schilderung der Sittenlosigkeit ganz ohne Nötigung eine Scene beifügen, die der von Antonius dem Augustus zum Vorwurf gemachten aufs Haar gleicht?" — Haec non minoris momenti esse duco in nostra argumentatione. Significasse enim credo virum doctissimum, locum illum Suetonii[3]) ubi de Augusto: „Prima iuventa variorum dedecorum infamiam subiit.... M. Antonius super festinatas Liviae nuptias obiecit et feminam consularem e triclinio viro coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis incomptiore capillo reductam." Profecto enim simillima

---

1) Plin. Epist. I, 20.

2) l.l. pag. 17.

3) Vita divi Augusti c. 69.

haec sunt iis, quae habentur in versibus huius carminis:

»Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit
Cui donet intermissa [1]) raptim
Gaudia, luminibus remotis:"

Atque paulo post ut appareat vulgo notam fuisse illam infamiam: „Sed et populus quondam universus ludorum die et accepit in contumeliam eius et adsensu maximo comprobavit versum in scaena pronuntiatum", e. q. s. Et denuo: „Ex quibus sive criminibus sive maledictis infamiam impudicitiae facillime refutavit et praesentis et posterae vitae castitate." Verumtamen subiungit [2]): „Circa libidines haesit postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quae sibi undique etiam ab uxore conquirerentur." Quae praeterea confirmantur a Cassio Dione [3]), ubi Liviae mortem tradit. — *„πυθομένου τέ τινοσ αὐτῆσ, πῶσ καὶ τί δρῶσα οὕτω τοῦ Αὐγούστου κατεκράτησεν, ἀπεκρίνατο, ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶσ σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέωσ ποιοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε ἀκούειν, μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιουμένησ."*

Satis haec omnia illustrant, ut mihi videtur, quantopere, si vera est Mommseni interpretatio, cavendum fuerit poetae ne principem offenderet, ne „universus populus" versus illos in Augusti honorem conscriptos (!) acciperet in ipsius contumeliam!" Non enim adeo improbat poeta conubiorum raritatem, ipsas vero cum virginum, libidines illicitas tum praesertim matronarum adulteria. Iam igitur placide inquiramus quid in hac re omnino sit sentiendum.

»Fecunda culpae saecula nuptias
primum *inquinavere*"

---

1) Cf. pag. 141.

2) Cf. ib. c. 71.

3) Cf. LVIII, 2.

Adverte non dixisse Horatium: „minuerunt" sed „inquinaverunt!"

»Motus doceri gaudet Ionicos
matura virgo et fingitur artibus
Iam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui."

Haec igitur de puellis, dum innuptae sunt. Ne uno quidem verbo indicat talem puellam non simul quaerere sponsum. Immo: iam sic procedit:

»Mox iuniores quaerit adulteros
Inter *mariti* vina, et q. s."

Itaque haec satis probabiliter videntur mihi efficere Horatium nequaquam spectasse alteram hanc illius saeculi culpam: matrimonia rarius iam contrahi. Solum memoravit „omnis generis libidines", quibus uterque sexus obnoxius est: frequentissima enim fuisse illis temporibus divortia ac matrimonia omni modo violata, quis est qui ignoret? Unde recte colligi posse mihi videtur Horatii increpationes multo latius patuisse quam patuit lex illa de maritandis ordinibus, neque liberorum *numerum*, potius vero iuventutis *imbecillitatem* poetam esse conquestum:

»Non his iuventus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico"

neque tam paucos uxorem duxisse, sed *matrimonium violatum* ita condemnat:

»Hoc fonte derivata clades
in patriam populumque fluxit."

Atque ne ulla dubitatio nobis relinquatur laudandus est locus Dionis [1]) ex quo luce clarius, credo, apparet ipsum Augustum probe discrimen fecisse inter legem suam et

---

1) Cf. LIV, 16.

illa praecepta castitatis et continentiae, quae tradidit Horatius. — „*καὶ ἔμπαλιν τοῦ τὲ γάμου καὶ τῆσ παιδοποιΐασ ἆθλα ἔθηκεν . . . κἂν τούτῳ καταβοήσεωσ ἐν τῷ συνεδρίῳ περί τε τῆσ τῶν γυναικῶν καὶ περὶ τῆσ τῶν νεανίσκων ἀκοσμίασ, πρὸσ ἀπολογίαν δή τινα τοῦ μὴ ῥᾳδίωσ δι' αὐτὴν τὰσ τῶν γάμων συναλλαγὰσ ποιεῖσθαι, γενομένησ, καὶ ἐναγόντων αὐτὸν καὶ ἐκείνην ἐπανορθῶσαι χλευασμῷ ὅτι πολλαῖσ γυναιξὶν ἐχρῆτο, τὸ μὲν πρῶτον ἀπεκρίνατο αὐτοῖσ, ὅτι τὰ μὲν ἀναγκαιότατα διώρισται, τὰ δὲ λοιπὰ ἀδύνατόν ἐστιν ὁμοίωσ παραδοθῆναι.*"

Haec Cassius Dio. Quid concludendum? Augustum ne decem quidem annis post [1]) ausum esse legem rogare contra probra illa a poeta denudata et damnata.

At dicat aliquis, non is erat Augustus, qui non intellegeret morum corruptelam ceterorum malorum fuisse causam! Recte, sed quid inde? Ideone dicendum est Horatium, cum de iis rebus ageret, id non fecisse nisi mandatu Principis, aut in laudem cuiusdam legis, quam princeps nec tulerat nec id temporis erat laturus?

Quidquid dicis, Mommseni coniectura admodum est debilis. Quidni faciat mentionem poeta de lege, quae celebranda ei est, quidni ullo verbo laudet liberorum procreationem legitimam? Postea profecto Augustus eas tulit quas in monumento Ancyrano commemorat leges [2]): „Legibus novis latis complura exempla maiorum exolescentia iam ex nostro usu reduxi" et de quibus Suetonius [3]): „Leges retractavit aut de integro sanxit, ut sumptuariam et de adulteriis et de pudicitia."

Annum autem non indicavit Suetonius. Dio indicavit,

---

1) Haec enim facta esse Dio est auctor a. u. c. 736.

2) Vide ib. II, 12.

3) In vita d. Aug. c. 34.

loco quem supra laudavimus [1]). Domaszewskius [2]) et his locis usus est, et alio Suetonii, quo ostendat ad Augustum pertinere poema Horatii. Narrat enim historiarum scriptor [3]) „libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum fecit. ut orationes Q. Metelli de prole augenda et Rutilii de modo aedificiorum, quo magis persuaderet utramque rem non ab se primum animadversum sed antiquis iam tunc curae fuisse". — Non infitior ea, quae ad haec verba — prudentissime admodum — adnotavit Domaszewskius: *„Man kann vermuthen* [4]), dasz Augustus als er den ersten Census in dem Jahre 28 v. Chr. hielt, jene orationes in Edicten bekannt machte. Dann waren sie zur Zeit, wo Horaz das Festgedicht (!) schrieb in aller Gedächtniss." Non, inquam ea infitior. Denuo enim de prole augenda solum est sermo. Neque in ea oratione, quam laudavit, Metelli, — ea saltem parte quae exstat — de alia re agitur. Uti legimus cum apud Livium [5]): „Q. Metellus censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores, liberorum creandorum causa. Exstat oratio eius, quam Augustus Caesar, [cum] de maritandis o[rdi]nibus ageret, velut in haec tempora scriptam in senatu recitavit" tum apud Gellium [6]): „Legebatur oratio Metelli Numidici, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur. In ea oratione ita scriptum fuit: Si sine uxore possemus, Quirites esse, omnes ea molestia careremus, sed .... cet. Congruit uterque locus cum iis quae

---

1) Cf. LIV, 16.

2) l.l. pag. 309.

3) In vita d. Aug. c. 89.

4) Litteris inclinatis imprimenda haec ego curavi.

5) Cf. Periochae ex libro LIX.

6) Cf. Noct. Att. I, 6.

diximus supra [1]); atque adulteria *sequuntur* matrimonia non *prohibent*.

Iam si quaerimus qua de causa Horatius haec cecinerit, hoc pro certo affirmare ausim, versus hos *neque* esse: „die Verklärung der Sittenreform des Augustus" *neque* docere prolem esse augendam. Quippe quae propositum imprimis „politicum" poemati inferciant.

Porro ea, quae Hiemerus [2]) docet Gardthausenum [3]) et Joersenum [4]) secutus, iam leguntur apud Car. Peterum [5]). Post ea quae disputavimus refutationem haec non requirunt. Tamen iuvabit ea quoque exposuisse, ut magis omnia perspiciantur. Audiamus: „Wahrscheinlich im Jahre 726/28 gab er ein strenges Ehegesetz, welches Ehelosichkeit und Ehen zwischen Senatoren und Freigelassenen bestrafte und wahrrscheinlich auch schon den Verheirateten Vorrechte in der Ambterkarriere einräumte. Das Gesetz war so unpopulär und der Widerstand so allgemein, dass Augustus zunächst nachgab ..... Nicht die Kinder sind es, an die diese Mahnung in erster Linie sich richtet, sondern die Alten, nicht die innere Umwandlung ist ihr nächstes Ziel, sondern den Widerstand gegen die gezetsliche Regelung sollen die Strophen bekämpfen." Ad primam partem annotandum est, ea firmo fundamento historico non niti. Sed mittamus haec [6]). Ad conclusionem vero; quid, quaeso, proferet vir doctissimus, ut quae audacter affirmavit,

---

1) Vide omnino Becker (Goell) Gallus II pag. 57 sqq. et: Friedlaender Darstellungen I[5] 368 et: Marquardt Privatleben d. R. I[2] pag. 73 sqq.

2) l.l. pag. 58.

3) l.l. I 901 sq.

4) Festschrift für Theod. Mommsen pag. 19.

5) Geschichte Roms III 46.

6) Praeter locos supra laudatos videre poteris S. Franke. »Fasti Horat." pag. 183 porro Marquardt l.l. I[2] pag. 75 in annotatione 2[a].

firme demonstret? Nihil, credo, prorsus. Immo luculenter ostendit Karstenius[1]) poetam inde a primo versu huius odae *adulescentes* esse allocutum:

»Delicta maiorum immeritus lues"

„Frustra, inquit, fuerunt qui locum explicare conati sunt ita ut „immeritus" et futurum „lues" suam obtinerent vim ac potestatem, — quia „Romanum" intellegunt de aequalibus poetae, hi tamen neque immeriti dici possunt neque luituri esse in posterum aliorum delicta.

At proles eorum, nunc adulescens, immerita est, sed tamen luet, si adoleverit, patrum et avorum culpam, nisi templa refecerit, h. e., — nam *Augustus* reficiet, — nisi ad religionem redierit." Acute sane scripta sunt haec ac tam aperte *vera*, ut nesciam equidem, qua ratione quisquam evertere haec possit.

Temere igitur affirmavit Hiemerus „nicht die Kinder sind es, e. q. s." Plura tamen animadvertenda sunt. Ait d. v.: „Nicht die innere Umwandlung e. q. s. ut supra.

Iure aliquis dubitet, num debita diligentia versuum contextum perpenderit vir doctus antequam talia scriberet. Nam Horatius lucidissimis verbis praedixit:

»*Di* multa *neglecti* dederunt
Hesperiae mala luctuosae."

Aperte monuit Romanos ut ad antiquam *pietatem* reverterentur. Postquam „multa illa mala" descripsit ipsam iam indicat culpam. Rectissime Gebhardius[2]): „Das alles ist nur eine unausbleibliche Folge der Religionslosigkeit, das Römervolk ist demoralisiert, das eheliche und haüsliche Leben ist vergiftet." Non igitur eam indicat damnatque culpam, quod leges spreverint, verum quod deos offen-

---

1) l.l. pag. 147.

2) Cf. l.l. ad Carm. III, 6.

derint, religionem peritus prodiderint „nuptias inquinaverint”. Plane enim concinunt inter se duae strophae:

»Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae

atque:

Iam bis Monaeses cet.
Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.”

Excitatque auditores ut ad pristinam redeant virtutem et ad deorum reverentiam. Poeta igitur procul dubio vult: „die innere Umwandlung”. Gardthausenus [1]) ea de Augusto principe recte perhibet, quae Horatio quoque hoc loco commodare voluerimus: „er sah in einer inneren Wiedergeburt des römischen Wesens allein die nöthige Garantie für die Zukunft und die Religion schien ihm das wichtigste Mittel zu sein dieses Ziel zu erreichen.”

Neque immerito eum id credidisse docte exposuit Karstenius [2]) exempla afferens multa multorum scriptorum ex quibus appareat docuisse antiquos „deorum reverentiam efficacem esse ad mores regendos.”

Ex ipso tandem poemate maxime videmus morum depravationem ad religionis neglegentiam rettulisse Horatum. Iam vero ubi de illis Augusti legibus est sermo, argumentum dici solet ex eo quod liberi sint procreandi, iusta proinde matrimonia contrahenda. Sic ut unum saltem locum in memoriam revocemus, ipse Princeps apud Dionem equites legum suarum contemptores ita alloquitur [3]): *ὁρᾶτε γὰρ καὶ αὐτοὶ ὅσῳ πλείουσ τῶν γεγαμηκότων ἐστέ. οὓς ἐχρῆν ἤδη τοσούτουσ ἑτέρουσ, μᾶλλον δεῖ πολλαπλασίουσ παῖδασ*

1) l.l. I, pag. 866.
2) Vide l.l. pag. 148 sqq.
3) LVI, 7.

ἡμῖν παρεσχηκέναι. Πῶσ μὲν γὰρ ἂν ἄλλωσ τὰ γένη διαμείνειε, πῶς δ'ἂν τὸ κοινὸν διασωθείη, μήτε γαμούντων ὑμῶν, μήτε παιδοποιουμένων? Nullo denuo verbo in longa illa oratione *adulterii* mentionem facit.

Atque haec de Hiemeri sententia quam antea laudavi. Porro idem interpres [1]) non solum [2]) primis versibus perhibet celebrari pietatem Augusti, quod templa refecerit, sed idem aliquibus ambagibus contortulis conatur demonstrare de reliquo poemate. „Kiessling hebt richtig hervor, dass nicht die Entartung der weiblichen Jugend überhaupt, sondern die Entsittlichung der Ehe das Grundthema der Schilderung ist. Das Gegenbild der Mutter der Vorzeit zeigt, dass die Meinung viel mehr ist: jener verlotterten Frau von heute gehen die sittlichen Qualitäten ab, um den Keim des Guten in die Herzen ihrer Kinder zu legen." Rectissima hactenus, atque cum iis, quae dicenda putavimus supra belle consentanea! Atqui, inquit, für die Bande, welche die Eltern mit dem Kind, das Kind mit den Eltern, alle Glieder der Familie miteinander verbinden, gebraucht der Lateiner das wort „pietas". Beiden Teile des Gedichtes haben also, nur in verschiedenem Sinne die Pietas zum Gegenstande." Argumentatio non male concludit, tamen admodum argute et exilis alicui videatur. At vide mihi qua de causa eam sarcinaverit, ut ita dicam, vir doctus.

§ 3. Qua de causa Hiemeri inventum prorsus reiciendum sit.

Statuere volebat et demonstrare Horatium festo illo die quo „clupeus ille aureus" in curia Iulia positus est, primum has odas recitasse, sextaque hac principis pietatem cele-

---

1) l.l. pag. 6.

2) Quemadmodum fecit Domaszewskius.

brasse [1]). Quare autem hoc inventum *ne speciem quidem veritatis* prae se ferre mihi videatur, paucissimis exponam.

Primum, si Hiemerum audis, agitur de festo die. Atqui carmen nostrum nequaquam, credo, festivum est [2])!

Dein: celebratur ut ait Augusti aliqua virtus. Atqui inepte ni fallor admodum. Virtus quidem universa extolli solet rectissime, notando vitio ei contrario; minus tamen decet, certi cuiusdam viri virtutem eadem ratione tractare. Et si denuo inspicis carmen ipsum iam videbis id ne fieri quidem potuisse. Quid illa „matura virgo" et „mariti vina" ad finem fere carminum, quae cantarentur *tali die* in *principis honorem?*

Sane cum auctor concludit [3]): „Den tiefen Eindruck der vorwürfsvollen Frage ob es wirklich mit Rom bergab gehen sollte, trugen die Festteilnehmer im Herzen mit nach Hause." Eum in risum vertere diceres illud quod in Pericle laudatum est [4]): *τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖσ ἀκροωμένοισ.*

Pericles utpote vir prudens ac sanae mentis, aliam utique elegit diem, alium locum, ut aculeos in animis relinqueret. Ubi magni nominis vir honoribus summis exornatur, non solent illi qui adsunt in seipsos oculos convertere ne dicam exspectare morum talia praecepta!

Augusti *denique* Pietas, teste Hiemero, duplex laudatur h. e. utraque pietas quae verbo significari potest, ab Horatio

---

1) Non ipsum quidem Horatium recitasse carmina fingit, sed recitanda ea curasse. Ad carmen sextum l.l. pag. 57, haec annotavit: »In derselben Kurie, *in der diese Verse vorgetragen wurden*, hatte der Senat vor wenigen Monaten den Beschluss über die Herstellung der Tempel gefosst. Die Verse sprechen also dem Kaiser den Dank dafür aus.....

2) Cf. »*Damnosa* quid non imminuit *dies*" e. q. s.

3) l.l. pag. 59.

4) Plin. Ep., I, 20.

memoratur. Non miror Domaszewskium aliosque illud „donec templa refeceris" in eam sententiam explicasse; verum si pietatem in parentes quoque vel in liberos laudatam esse perhibeas, merito hercle requiro, ut leviter saltem attingat poeta Augusti excellentiam, aequalium sceleribus adeo contrariam. Atqui *frustra* hoc requiram.

Ex his omnibus efficitur fabulam illam ingeniose quidem excogitatam dignam nullatenus esse cui fidem habeamus, Milesiae vero instar esse. Multa sane sunt in antiquitatis historia quae uno tantum auctore credimus, dummodo nihil in iis inveniatur, quod rebus repugnet aliunde certe cognitis. Maiore etiam circumspectione opus esse credo si factum quoddam ex versibus tantum hauriatur. Atque hoc, quod sibi deprehendisse videtur vir doctus in odis Horatianis, finxisse eum potius quam reperisse concedet, quisquis ipsos, de quibus disputatur locos diligenter consideraverit. Verum iam nimis diu lectorem in hac re detinui.

§ 4. Sitne carmen hoc pueris puellisque ineptum dicendum.

Antequam tamen, quae sentiam proponam finemque huic disputationis parti faciam duo velim perstringere tantummodo.

Primum est quod Rosenbergius [1]), Domaszewskio adversatus: „Domaszewski hält die Ode 1. und 6. für Paränesen, jene für die Knaben, diese für die Mädchen! O wie so gar nicht passt dieser „Rahmen" weder für die Knaben, die noch nichts von der atra cura ahnen und begreifen, noch für die Mädchen denen die Zolasche (!) Gemälde gerade zu Gift wären." Ad haec annotandum duco: primum non utique infantes semestres spectasse poetam, dein omnino

1) l.l. pag. 27 in Epilogo.

iis temporibus *opus fuisse* [1]) ut tenerrima fere aetate docerentur pueri puellaeque, quid in hac re vitandum iis esset. Teste enim iterum Cassio Dione, Caesar Augustus edixit ne ultra biennium nuptiae differrentur post facta sponsalia. Atqui [2]) „*δώδεκα* inquit, *ταῖσ κόραισ ἐσ τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται*” [3]). Praeterea ipse Rosenbergius seipsum refellit: in antiquiore enim commentatione, quam supra iam laudavi, haec habet: „Jene Schilderungen sind grell — und sie sollten es sein. Jung Rom sollte vor seinem Spiegelbilde erschrecken und umkehren.” Atque hoc primum.

Alterum est quod Iurenka [4]) „Erst mit dem sprachlich unvermittelten Abschnitte kommt Horaz auf die häszlichsten Gebrechen seiner Zeit zu sprechen, auf die Sittenlosigkeit im Privatleben. Dass hier der Satirenton durchschlägt hat Peerlkamp wargenommen. Zum Satiriker gehört aber ein lächelnder Mund; das Lächeln in allen Arten vom vergnügten — insichhineinlächeln bis zu dem eisigen der Resignation.”

Num verum quaeso illud est? Nonne: „os ille ridens” ut nos loquimur „capillis huc attractum est?” Ipsis Peerlkampii verbis vim facit interpres. Etenim quid Peerlkampius? [5]) „Non credo haec tam ridicula et obscoena ab Horatio esse posita in eo carmine.” *Reicit* igitur illas ut spurias strophas, quas ore ridenti exponere vult Iurenka. Tum

---

1) Igiturque *decuisse*.

2) l.l. LIV, 16.

3) Cf. omnino locos quos Friedlaenderus collegit l.l. I⁵, pag. 504 sqq. in appendice 3. »Das gewöhnliche Alter der Mädchen bei der Verlobung und Verheiratung.”

4) l.l. pag. 304—305.

5) In editione ad carm. III, 6.

procedit: „Turpia huiusmodi exempla ex hominum vita notare proprium est Satyrae." Equidem nec cum Peerlkampio nec cum Iurenka facere voluerim. Ille enim improbat non solum sed reicit versus 25—32 quia dedecent in „eo carmine quod pracepta continet egregia et orationem habet lyricae gravitati consentaneam." Hoc autem argumentum minus fortasse illis placebit qui cum Hartmanno [1]) profitentur: „si in doctorum aliquo conventu statuendum esset quid ipse Horatius scripsisse videretur, vix ullum traditae lectionis locum tangere me ausurum" [2]).

Praeterea logicae artis praeceptis prorsus est contrarium. Rectius enim ratiocinetur aliquis ita: Hoc poemate ceterum dignissimo versus impudici continentur: ergo non constat sibi poeta. At ego ne hoc quidem concedo. Ratio enim omnino est habenda morum illius aetatis. Elegantissime, ut solet, disseruit de hac re Hartmannus in alia commentatione [3]). Ibi viro graviori ipsum interpellanti quod „artem amatoriam" defendat, sic respondet: „Irasci me vetat non hercle nimia quaedam adversus hoc litterarum genus levitas, sed unicuique innatus ille aequitatis sensus. Dico enim palamque declaro inter poetarum Romanorum opera, vix ullum reperiri quod ipsa hac arte minus sit impudicum". — Praecipue vero spectabam quae sequuntur: „Hodiernis hominibus tres illi libri lascivi videri possint. Ovidii aequalibus non potuerunt, aequo enim animo Catullum tulerant, et ferebant Tibullum Propertiumque". — Dein

1) De Horatio poeta pag. 9.

2) Eosdem quos reicit Peerlkampius maximopere improbat Naberus l.l. Alia tamen ratione ut opinor ductus. »Sunt tamen viginti vel triginta fortasse versiculi adeo insulsi ut fidem superent. Hos si e textu eieceris poetae famae optime consulueris." — Deinde laudat illustrissimus vir versus de quibus hic agimus.

3) »De Ovidio poeta" cf. ib. pag. 70 sqq.

commemorat *τὴν νέαν κωμῳδίαν*. — His omnibus assuefacti erant Romani. Non igitur offendebat eorum aures liberior paulum descriptio, carminisque huius gravitatem potius auget, me iudice, quam minuit: „Iung Rom sollte vor seinem Spiegelbild erschrecken".

Non igitur facio cum Iurenka. Ipse enim omnem gravitatem tantum non tollit ex his versibus. Poetae enim verba in huius nostrae aetatis sermonem temere convertens vocabula usurpat, qualia sunt: „ein Backfisch der Cancantanzen lernt" „eine raffinirte Kokette". Dein ipso iudice: „ist auch die nächste Strophe der Komik! nicht bar". — Peerlkampii, uti vides, testimonio [1]) fretus nihilominus aliam prorsus excogitavit doctrinam. Tantum autem abest ut ei credam, ut interpretationem eius si admittas absurdum ac monstruosum aliquid tibi gigni perhibeam. Finge tibi poetam Romanum illius aetatis, qui postquam procul dubio admodum serio cecinit:

»paene occupatam seditionibus
delevit urbem Dacus et Aethiops."

Subito arte comica ludere incipit, ut tamen tragice concludat suum carmen:

»— undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis, amici?"

§ 5. Sententia scriptoris.

Iam post ea, quae disputavi, facile erit exponere quid ipse sentiam de oda sexta. Iterum spectat Horatius iuventutem Romanam; *eam* alloquitur, *eam* vult docere quippe quae vitiis adhuc intacta necessaria tamen pravis parentum exemplis suaeque naturae indulgens ad pessima processura

---

1) Cf. supra pag. 157.

sit. Iam malorum quae imminent unicum remedium prae omnibus assignat religionum restitutionem. En eius argumentatio:

Delicta maiorum lues Romane,

nisi redeas ad pristinam tuam pietatem, deorumque cultum. Contra, si redieris, imperabis.

Neglecti dii mala dederunt multa patriae, ut constat ex recentissimis miseriis. Quaenam vero sunt praecipua delicta maiorum? Sunt adulteria, quibus nuptias inquinant. Ex tali autem matrimonio quid nascetur nisi mollis et inepta iuventus, quae patriam non defendet sicut illi olim viri fortes a matribus suis severe ingenueque educati fortiter eam defenderunt. Iam autem a peioribus ad pessima labemur, nisi vos huic morum depravationi strenue finem imponatis. Quae enim vestra est consuetudo, liberorum vestrorum fiet natura.

»Damnosa quid non imminuit dies?"

Vobis ergo adhibendum est remedium unicum:

»donec templa refeceris
aedesque labentes deorum et
foeda nigro simulacra fumo."

Si ad deorum cultum reverteritis, in *ipso* invenietis quae perdiderunt parentes: antiquorum Romanorum virtutem virilem.

In fine haec monenda sunt . . . Primum: sicut in reliquis odis exposui, neque hic negare voluerim Horatium Augusti *memorem* quidem fuisse; eumque de industria in prima stropha, metaphorico usum genere dicendi, *templorum* tantum fecisse mentionem, dum *pietatem* universam significaret.

Dein: magis premi debere in interpretatione poematis vocabulum illud primum, quod est „*Delicta*". Per totum enim ferme carmen in hoc versatur poeta, ut vitiorum cum ignominiam tum miserrimos describat eventus. Ex

eo quod ceteris omnibus rebus hoc anteposuit, iam apparet ab initio consilium eius fuisse, ut *vitia* castigaret censoremque severum ageret.

Porro ea quae sunt in versibus 9—16, teste Peerlkampio „sine iudicio ex historia petita sunt", quia „non pertinent ad neglecta templa et spretam religionem" [1]) ideoque ostendere mihi videntur: poetam universas clades aerumnasque quascumque de industria tribuisse diis iratis, non eas solum, quae proxime ex spreta religione processisse credebantur vulgo.

Tandem si quis dubitet, num adulterium, illius aetatis Romanorum iudicio, offendat religionem, id, et aliis et Cornelio Tacito auctoribus certe de Augusto affirmandum ei erit. Quippe qui „culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum" appellaverit [2]).

Concludere nolo antequam verba haec annotavero quae excipiunt illa: „clementiam maiorum *suasque* ipse *leges* egrediebatur". Mire enim confirmant, quae supra diximus, neque veterum leges neque ipsius Augusti tam ad refrenandas libidines quam *ad augendam prolem* fuisse latas.

---

1) Ut melius perspiciatur quantas difficultates generet interpretatio eorum, qui Augustum cantari perhibent toto hoc carmine operae pretium est ipsius Peerlkampii verba laudare. Reicit duas illas strophas, hac imprimis argumentatione fretus: »Haec exempla sine iudicio ex historia petita sunt. Non enim pertinent ad neglecta templa et spretam religionem, nisi quatenus Crassus parum curaverit diras tribuni plebis, qui eum ab expeditione Parthica deterrere cupiebat, et tristia omina quae in Oriente acciderant. Sed nusquam legimus Didium Saxam et Antonium a dis fuisse admonitos, ut a simili bello abstinerent. Si vero causam belli civilis inter Antonium et Octavianum repetit a neglecta religione (adverte haec!) ut ipsum bellum fuerit poena, Augustum ea re gravissime offendisset, eum quem in hoc carmine propter studium templa reficiendi, sanctitatemque matrimonii revocandi, tantopere laudat." Cf. ed. ad III, 6.

2) Cf. Annal. III, 24.

CAPUT VII.

Singularum odarum expositionem postquam pro viribus absolvimus, restat ut pauca dicamus de sententiis ad integrum cyclum pertinentibus. Nos quid sentiamus aliquoties iam indicavimus antea. Variorum scriptorum interpretationem, quae vulgo arte cohaeret cum eorundem sententia de singulis carminibus supra tractavimus, modo probantes modo refutantes; ita ut omnes denuo attingere nihil sit opus. —

Sic illud quod caput esse apparet totius Mommsenianae doctrinae in hac re: „Wie Friedrich II, wie unser gegenwärtiger Kaiser, so ist auch derjenige Herrscher, welcher den Kaisernahmen mit der Monarchie verbunden hat, Caesar Augustus als Jüngling zum Regiment gekommen..... Als in schweren Kämpfen die Monarchie entschieden war..... da gab der Dichter Horaz dem grossen Neubau die dichterische Weihe. Die ersten sechs Gedichten des dritten Buches bilden ein Ganzes, und sind bestimmt den neuen Nahmen Augustus zu feiern, und die an diesen Namen sich knüpfenden Gedanken zusammenzufassen." Cum saepissime de singulis locis supra res nobis fuerit cum Mommseno ampliter ostendimus quam ineptissime haec facturus fuisset poeta. Ne igitur eadem saepe dicamus, sufficiat nobis annotasse praeclarum virum mira nobis cecinisse carminumque vim perperam prorsus explicasse. Admittendum tamen existimo, id quod docet, carmina sex unum efficere cyclum.

Quibus adicere lubet, Karstenium quidem [1]) apte monuisse ne sententiam Mommseni in maius augendo, Horatio aulica tantum imputaremus consilia. „Sic enim, ait, veram Mommseni opinionem se parum intellexisse ostenderent." Fatendum sane est, celeberrimum virum in fine orationis suae, callide aliqua retractasse, quae *haud obscure* aliter antea docuerat. Hoc cum doctissimo viro modo laudato tribuere ei causae potuerimus, quod amavit ille „scripta sua illustrare acute dictis, quae quasi *ἔπεα πτερόεντα* longe evolant, sed quibus tamen cavendum est ne plus ponderis tribuamus quam ipse iis tribui voluerit." Attamen haud longe a veritate eum abesse crediderim, qui contendat cum Loeschhornio [2]) „in Mommsens Rede wird Horaz als ein in rhytmischer Sprache schaffender Schriftsteller betrachtet, der im Gewande des Dichters höfische Ziele verfolge, ein Prophet der Monarchie sei und in den sechs Römeroden den Kaiser in feiner, aufrichtiger und würdiger Weise [3]) feiere."

De Hiemeri invento ea quae diximus supra satis utique sufficiunt [4]). Unusquisque qui longam eius perlegerit com-

---

1) l.l. pag. 169.

2) Cf. l.l. pag. 909.

3) Atque obscurissime, addiderim ego.

4) Cf. pag. 154 sqq. Ut tamen quae confinxerit sibi vir doctus iis etiam innotescant, qui commentationem eius (Programma Gymn.) ad manus non habeant, nonnulla describenda duco. Postquam ea breviter enarravit quae de assumendo *Augusti* nomine ex historia noverimus, sic pergit: »Das ist es, was wir von der Vorgeschichte jener Akte des Kaisers und Beschlüsse des Senates in Jan. 727/27 noch zu erkennen vermögen, die zu der uns beschäftigenden Feierlichkeit Anlass gaben. Es kann uns nicht wundernehmen, wenn diejenigen Senatoren, welche die Vorbereitungen für das Fest zu treffen hatten, sich nicht auf den speziellen Anlass beschränkten, sondern die Neugründung des Staates und die aus Anlass derselben dem Herrscher erwiesenen Ehren mit hereinzogen. Bei einer Beschränkung

mentationem hoc non negabit: multis ambagibus opus ei fuisse, ut coniecturam suam vel sibimetipsi probaret. Quare ut brevitati consulam multa omittenda esse censeo. Gravissimo porro hoc laborat vitio tota eius argumentatio, quod suis ipsius inventis odas quasi interpolavit neque eas sinceras investigavit; dein, in explicandis singulis carminibus magnum quid perfecisse sibi videtur cum demonstravit haec vel illa non inter se pugnare.

Ut unum argumentationis eius afferam exemplum: postquam enarravit quantum discrepent alii ab aliis in exponendis his poematibus, ipse sic procedit [1]: „Statt einer einzigen die Gruppierung beherrschenden Totalidee liegen also nicht weniger als sechs vor, die sich zur Auswahl anbieten. Das ist eine schlimme Sachlage für die Einheitstheorie, zumal man zugestehen muss, dass jeder dieser Gesichtspunkte sich bei einem Theil der Gedichte als durchaus zutreffend

---

auf das in der Inschrift des Schildes festgelegte Thema wäre es kaum möglich gewesen die Klippe aufdringlicher Schmeichelei zu vermeiden. Augustus aber ist mit seiner Person nie unnötig in den Vordergrund getreten und auch auf der Höhe seiner Macht persönlichen Ehren nach Möglichkeit ausgewichen. So traf man auch hier seinen Wunsch, wenn man seine Person, soweit es der Zweck der ganzen Feier überhaupt gestattete, zurücktreten liess. Wollte man andrerseits die politische Reorganisation durch eine feierliche programmatische Kundgebung abschliessen, so liess sich dazu kaum eine bessere Gelegenheit finden als dieser Akt, bei dem der ganze Adel Roms in der curia Julia versammelt war. So dienten diese Festlieder nur zum geringsten Theil ihrem nächsten Zweck, der Verherrlichung des Augustus, vielmehr erhielten sie in eigentümlicher Wendung den Charakter einer offiziellen Kundgebung der Regierung was eine sorgfältige Feststellung ihres politischen Inhaltes unumgänglich nötig machte..... Man täuscht sich wohl nicht in der Voraussetzung, dass sich die leitenden Männer auf die Feststellung der allgemeinen Gesichtspunkte beschränkten, die poetische Gestaltung aber völlig dem Dichter überliessen."

1) Cf. l.l. pag. 4.

erweist." Mecum iam exspectabis, credo, lector, eum ergo esse negaturum *omnem* unitatem. At audi ac mirare: „Das Ergebnis dieser Prüfung von Soll und Haben kann nur lauten, dass die Einheit, die das Ganze umspannt, nicht eine begriffliche ist. Wenn also eine Einheit vorliegt so muss sie äusserlicher Art sein." Verum enimvero, ex qua re quaeso efficies illud: „*wenn eine Einheit vorliegt*", nisi ex ipsis iis, quae in Cyclo continentur, atque ex carminum forma? Iam si *haec* unitatem prae se ferunt, egregie fallitur Hiemerus; sin minus, qua de causa eam quaerit?

Praeterea ut unitatem vere internam tueri possimus, nonne argumentum hoc nobis sufficit, quod ubique in Odis diserte recognovimus: poetae consilium *docendi iuventutem Romanam Romanas virtutes*, vel celebrando ipsas, vel exprobrando flagitia ipsis contraria? Verumtamen non ita ratiocinatus est vir doctissimus. Perveniendum enim illi erat ad *festum illum diem*, quo Principem perhibet fuisse celebratum Horatii carminibus.

Atque sic — multis hic inde interiectis — viam suam sternit [1]: „Bei der feierlichen Anbringung dieses Schildes (clupei aurei) in der curia Iulia wurden die Römeroden zum erstenmal gesungen. Der Beweis liegt darin, dass die Worte virtus, clementia, iustitia, pietas genau in dieser Reihenfolge, die von der modernen Erklärung vergebens gesuchten Titel der dritten, vierten, fünften und sechsten Römeroden sind".

Iam vero oritur difficultas: „Dass dies nicht längst erkannt ist, rührt daher dass wir mit den Deutschen Wörtern mit denen wir diese vier übersetzen zum Teil ganz andere Begriffe verbinden". Sic enim Heinzius [2])

1) Cf. ib. pag. 5.

2) Vide l.l. pag. 239.

Monumentum Ancyranum memorans, de iustitia agi non quinta sed tertia Oda perhibuit. Adnotare lubet quanto opere dissentiant inter se novissimi inventi fautores: „Unsere erste Aufgabe ist demnach der Nachweis dass im Sinne des Dichters die virtus, clementia, iustitia, pietas in dieser Reihenfolge das Thema b.z.w. den Angelpunkt der vier letzten Römeroden bilden". Iamvero idem ipsi nodus est solvendus quem frustra solvere conatus est Domaszewskius: *imprimis*: non omnibus odis sed quattuor tantum virtutes illas celebrari, *dein:* in his quattuor quam parcissime mentionem fieri Augusti: „Augustus aber ist mit seiner Person nie unnötig in den Vordergrund getreten und auch auf der Höhe seiner Macht persönlichen Ehren nach Möglichkeit ausgewichen. So traf man auch hier seinen Wunsch, wenn man seine Person so weit es der Zweck der ganzen Feier überhaupt gestattete zurücktreten liess". At mihi videtur ab ipsa talis festi natura alienum fuisse, virum virtutibus ornatum vix nominare, virtutesque eius non magis quam vitia tractare [1]). Praeterea in hac re non

---

1) Ipsum quoque virum doctum difficultatem hanc perspexisse ex iis apparet quae verba supra descripta (pag. 163 in annot.) in commentatione eius excipiunt: »Sich nicht auf den speziellen Anlass der Feier, die Dedication des Ehrenschildes, zu beschränken, konnte man sich um so leichter entschliessen, als ja nach dem eigenen Zeugnis des Augustus sowohl die Widmung des Schildes als die Verleihung des Titels Augustus die Belonung für die Wiederherstellung der republikanischen Verfassung bildete. Aus der Einbeziehung dieser drei Punkte ergab sich eine dreifache Aufgabe.

Einmal war der Inschrift des Schildes entsprechend die virtus, clementia, iustitia, pietas des Augustus zu feiern.

Zweitens galt es, die Bedeutung der eben vollzogenen Reform für das römische Reich zu verherrlichen .....

Drittens war auszuführen dass dieser Moment die Abwendung von den Greueln der Revolution, und die Rückkehr zur altererbten Weise der Väter bedeute."

adeo modestum fuisse crediderim Augustum. Immo ipse hortatus est Horatium diserte fere ut ipsius suaeque gloriae melius consuleret. „Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse" [1])? — Verum ne longi simus huic rei finem tandem imponimus.

Quae sit sententia Seligeri supra indicavimus. Ipse sex odas cyclum quidem efficere, verum *non recte dispositas* esse censet. Nequaquam autem, ut mihi videtur, argumentis utitur sat firmis ut admittamus aliquid quod a nullo codice probetur. Immo testatur Cruquius [2]) odam tertiam in antiquissimo Blandinio statim alteram excepisse. Praeterea Porphyrionis iam aetate ordo quem novimus servabatur. In hac utique re, quae est difficillima, plane despero fieri posse, ut quis probabilem reddat omnibus suam coniecturam. Quid inde ab Horatii temporibus in codicibus sit interpolatum, quid forsan mutatum, quis mihi ostendet? Codices qui exstant quod ad plurima, non male conveniunt inter se. En praeter quod nihil certi scimus. Seligerus ordinem invertit, Peerlkampius non tantum ordinem invertit, verum multa quoque reiecit. Quonam autem iure? Aequum est quidem ut fateamur, cum etc... cum summa reverentia, Peerlkampium egregium iudicem fuisse atque dignissimum, qui opinionem suam in hac re proferret. At si quis firmissimo non fretus fundamento talia doceat, alii certo certius negabunt, relinquemurque disputationibus, quarum nullus erit finis.

In hac enim causa, externa quae vocant argumenta, ex codice petita, multo plus valent quam unius viri quamvis

---

1) Cf. Suetonium. Vita Hor. Flacci.

2) Vide quae supra pag. 84 in annotatione. Attamen eum tale quid quoque finxisse non facile credam.

ingeniosissimi consideratio. Facile spuria habebit quaecumque ipsi non placent. Praestabit sine dubio cum Nabero tuto affirmare: „vix quidquam interpolati in Horatii codicibus superesse et textum satis integrum ad nostra tempora usque esse propagatum". „Neque, unquam, inquit, de interpolatis versibus cogitasset Peerlkampius, nisi persuasum habuisset, quod perhibet ad od. I. 16: „Equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis, quin elegantiam minuas".

Deinde memoranda sunt, quae docuit Rosenbergius. Etenim cum magna admiratione legimus [1]): „das wichtigste ist, dass dem Verfasser (Rosenberg) der Beweis eines nicht vorhandenseins von einer näheren, ursprünglich beabsichtigten, von einer einzigen Idee beherrschten Verbindung der sechs Staatsoden vollständig gelungen ist." — Verum quidem est, scriptorem illum laude dignissimum, — qua ne careret cavit Loeschhornius! — demonstrare illa esse conatum. Mire tamen, me iudice. Nam ita argumentatur.

Initium facit a prima stropha primi carminis, eamque esse prooemium affirmat non autem primae odae tantum. Ergo ait: „So ist es begreiflich dass man bis zu Ode VI ging, der letzten in alkaïscher Sprache geschriebenen im ersten Teil des Buches." Quod tamen admittere posse se negat. Quare quaeso? Praecipua ea causa videtur ei esse negandi, quod carmen sextum ipso iudice minus est idoneum, etenim: — atque haec si insulsa vocavero ignosce mihi lector — „soll die virgo sich die matura virgo v. 22 etwa zum Muster nehmen? Wahrlich Horaz müszte ein schlechter Erzieher gewesen sein." Haec data opera confutare non est operae pretium.

1) Loeschhornius l.l.

Sed iam intellegerem si ea de causa negaret primam stropham ad sextum carmen pertinere, et quinque odis absolvi totum cyclum, sicuti docuit Corrsenus [1]). Verumtamen non ita: „Odi profanum ist das Motto zu dem ganzen dritten Buche". Carmen igitur non solum sextum, sed se cantare alia praeterea multa virginibus affirmasse docet poetam. Artis logicae praeceptis vim sic inferri quis est qui non videat? Universe autem dicendum est postremam partem commentationis laudatae, non hoc uno vitio laborare. Varias enim sententias de carminum compositione inconsulte fere ac temere commiscuit vir doctus; ita ut aliam hic, illic aliam tueri videatur. Quod post ea, quae modo diximus, luculenter apparet ex hisce verbis, quibus concludit [2]): „Es sind also gnomische Lieder in alkaïscher Form, die uns der Dichter im Beginne des 3 Buches ankündigt."

Iam igitur est immemor doctrinae suae: ad integrum librum tertium pertinere illud prooemium. „Dem Dichter war es darum zu tun seinem Volke, der neuen Generation, in alkaïschen Weisen den Wert der Genügsamkeit, der Tapferkeit, des Bürgersinns, der Frömmigkeit, der Sittlichkeit etc. einzuschärfen. Dann hat er später diese Oden überarbeitet"; et ne ulli sententiae qualitercumque favere videatur, addit: „und sie zum Teil auch zu Augustus oden gemacht". Talium carminum talem seriem si Cyclum vocare non vis, per me licet. Haec nimirum quaestio est *de nomine* — minimi igitur momenti. Concessit tamen vir doctus illa, quae supra negavit. Neque nimis propterea nobis est mirandum. Luce enim clarius apparet omnem horum carminum interpretationem *argutiorem*, accuratius si inspexeris, mox corruere.

---

1) Cf. l.l. pag. 590.

2) Cf. l.l. pag. 25 sq.

Una est sententia, quae omnia explicat, eorum, qui remotis praeiudiciis cunctis ipsos solum considerant *versus*. Ipsi agnoscunt Horatium *parce* ibi celebrasse principem pro illis quidem temporibus, cum summis honoribus Romae, divinis in provinciis ornabatur Augustus. Ipsi agnoscunt, poetam per sex carmina, sibi prorsus constantem, docuisse pueros virginesque ea, quae ipse olim erat edoctus a patre illo suo probissimo et prudentissimo, quaeque, qua erat sana mente, rei publicae maxime profutura ipse perspiciebat.

CONCLUSIO.

Ergo, quia nihil obstat quominus statuamus omnes has odas eodem anno esse conscriptas atque odam tertiam, quae anno 27 tribuenda est; quia porro ab antiquissimis temporibus una lectae sunt et explicatae; quia pro contraria doctrina nullum exstat argumentum externum, ea vero quae solent afferri „interna" mimime quidem persuadent; quia denique, postquam singulas diligenter investigavi, ex eodem proposito ac consilio esse natae mihi videntur coniunctas eas fuisse neque unquam mutatas, concludendum esse opinor.

»Hac in re scilicet una
multum dissimiles"....

Epist. I. 10. 2.

OPERIS CONSPECTUS.

THESES.

THESES.

I.

Odae Romanae quae dicuntur unum cyclum efficiunt.

II.

Earum argumentum praecipuum non est laus Augusti Principis, sed iuventutis cohortatio.

III.

Carmen III, 2. hac ratione a reliquis quinque differre videtur quod in hoc uno Virtus laudatur *infinite.*

IV.

Tac. Annal. XIV, 52.

»Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis *artibus* idem virium erat altero velut duce amoto et Nero ad deteriores inclinabat." —

— Pro *artibus* legatur: *partibus.*

V.

Contra Nipperdey, Furneaux aliosque putandum est miraculum — Annal. XIII, 41. — a Tacito traditum, solis fuisse defectum, quem pridie kalendas Maias (a. D. 59) esse factum auctor est Plinius — N. H. II. 70, 180. —

VI.

Tac. Annal. XV, 44 recte explicavit Carlo Pascal v. d. — Fatti e leggende di Roma antica. 1903 pag. 185 —: „Che, *nella mente di Tacito,* i colpevoli di avere appicato le fiamme fossero i Christiani, il colpevole di averlo ordinato fosse Nerone."

VII.

Rationes quibus Kukula v. d. — Römische Saecularpoesie 1911 — nuper demonstrare conatus est Horatium consilia quorundam mala ad rem publicam pertinentia vituperantem illudentemque significare Epodo XVI utpote falso nitentes fundamento reiciendae sunt.

VIII.

Lygdami Eleg. I. 11—14.

»Summaque praetexat tenuis fastigia *chartae*
Indicet ut nomen littera facta meum
Atque inter geminas pingantur cornua frontes
Sic etenim comptum mittere oportet opus."

— Pro *chartae* legendum est *charta.*

IX.

Euripid. Herc. Fur. 1340.

οἴμοι πάρεργα . . . . τάδ' ἔστ' ἐμῶν κακῶν.

Non cum Barnesio aliisque *γάρ* sed cum Ed. Princ. *μέν* est supplendum.

X.

Ibidem vss. 1343—1344 inter se transponendi sunt.

XI.

Ibidem 1345.

δεῖται γὰρ ὁ ϑεόσ, εἴπερ ἔστ' ὄντωσ ϑεόσ —

Immerito a Wilamowitzio v. cl. cum Clem. Alex. (Strom. 5) legitur *ὀρϑῶσ.*

XII.

Ibidem 1346.

οὐδενόσ· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι

legatur cum codd. Laur. *οὐδενόσ· ἀοιδῶν δ'* cet.

XIII.

Soph. Trach. 123.

ὧν ἐπιμεμφομένα σ' ἀδεῖα μέν, ἀντία δ' οἴσω.

Sana est haec codd. lectio. Non cum Musgravio, Iebbio, aliisque *αἰδοῖα* legendum pro *ἀδεῖα.*

XIV.

Aristoph. Equit. 230.

— *ἐξῃκασμένοσ.* Non Leeuwenus, scholiasta autem verum vidit.

XV.

Demosth. Phil. I. § 47.

ὅταν ὑμεῖσ, ὦ ἄνδρεσ Ἀθηναῖοι, τοὺσ αὐτοὺσ ἀποδείξητε στρατιώτασ καὶ μάρτυρασ τῶν στρατηγουμένων καὶ δικαστὰσ οἴκαδ’ἔλθοντασ τῶν εὐθυνῶν cet.

Deleatur vox: *στρατιώτασ.*

XVI.

Flav. Ios. Ant. Iud. XVIII. 3, 3. —

Locus qui est de Iesu Christo immerito hodie expungi solet.

XVII.

Ex veterum testimoniis perperam colligitur Athenienses *παρανόμωσ* egisse iudicium ferentes de imperatoribus in proelio apud Arginusas facto victoribus.

XVIII.

Quo die Athenienses imperatores illos capitis damnaverunt ipse Socrates *ἐπιστάτησ* fuit.

XIX.

Xen. Hell. I, 7, 34.

καὶ παλὶν διαχειροτονίασ γενομένησ.

Suffragium hoc iteratum non intellegitur, nisi statuamus Socratem de industria falso renuntiasse quid populus censuisset.

XX.

Iudaeorum quae vocatur *διασπορά* ipsorum multo magis voluntati quam aliorum violentiae tribuenda est.

XXI.

Minime inter se contradicunt:
Actus Apostolorum 18. 2.
Suet. V. d. Claud. 25.
Cass. Dio. LX. 6.

XXII.

Quae de Censu Quirinii affirmat S. Lucas falsa esse nequaquam demonstratum est.

XXIII.

Temere Bacha v. d. — Génie de Tacite 1906, pag. 24 — »Il a inventé le contenu de ses sources et le prétendu usage qu'il aurait fait de celles-ci, comme il a inventé tous les contes invraisemblables, paradoxaux, dérisoires qui remplissent ses seize livres d'Annales."

XXIV.

Christianos cur persecuti sint Romani non satis explicatur eo quod deorum Romanorum cultum constanter spernebant.

XXV.

E compluribus locis Carminum Sibyllinorum eluce' qua de causa ethnici „odium generis humani" Christianis obicere solerent.

XXVI.

'O Λόγοσ qui dicitur a Philone Alexandrino natura sua differt a notione ‚Verbi' et ‚Sapientiae' in S. Scriptura.

XXVII.

Essenorum secta neque ex Buddhismo neque ex Parsismo neque ex Pythagoreismo originem duxit.

XXIII.

Discobolus in vase fictili quod Monachii asservatur (n. 344) depictus idem est Phayllus, de quo Schol. Aristoph. Acharn. 214. — Suidas s. v. — Phot. Lex. II p. 243 N, cet.

XXIX.

Risus archaicus quem vocant non artificum imperitiae tribuendus est.

L. D.